# DANIELIS HEINSII ORATIONES ALIQVOT,

Quarum indicem sequens exhibebit pagina.

*Cum Dissertatione de libello, quem* Περὶ κόσμου *vulgo inscribunt, & Aristoteli attribuunt.*




LVGDVNI BATAVORVM,
Ex Officina Ioannis Patii, Academiæ Typographi.

Anno clɔ. Iɔ. IX.

*Nobilissimis Amplissimisq; viris,*

D. HADRIANO A MATHENES,
Domino in Mathenes & Opmeer.

D. CORNELIO VANDER MYLE,
principi à Consiliis,

*Academiæ* CVRATORIBVS.

ET

*Amplissimis ac Prudentissimis viris*

DD. CONSVLIBVS LEIDENSIBVS,
eorum Collegis,

ITEM

*Consultissimo ac Prudentiss. viro*

NICOLAO SEYSTIO,
Vrbis Syndico, Curatorib. à secretis.

*OFfero vobis, Nobilissimi Amplissimique viri, aliquot orationes & præfatiunculas, quas in Academia vestra partim habui his diebus, partim scripsi. Prima proprie vestra est, etsi mea: sicut illa quæ debentur ejus esse nõ putamus, qui existimatur possidere, sed cui est obstrictus is qui habet. Bibliothecarii munus, quod ubique à præstantissimis administratur viris, vestro cõsecutus sum munere: non quod eruditio nostra id revera mereatur aut scientia; sed quod vobis dignus ideo putarer,*

*ne non semper humanissimi essetis. Gratias ergo vobis egi hactenus, ut revera gratus possim videri, non ut paria cum liberalitate vestra faciam: cujus magnitudo integra apud vos manet. Alteram Pythiis Pindari præmisi: in qua obiter ostendi aliter in Academiis autores, ac præsertim poëtas, docendos esse, aliter in triviis: ne sordere pergant scripta veterum, errore interpretum non suo: quod ubique fieri videmus. Huic fusiorem primæ Pythiorum Odæ interpretationem subjeci, ut de talibus scriptoribus bene illi discant sentire, qui cum eos Græce legere non possint, satis sibi facere videntur, si contemnant. Tertio egi de libello, quem nonnulli Aristoteli asscribunt, perperam, & ut multis ostendi, falso. Puto autem esse æquissimum, ut cum omnia quæ toto anno à nobis dicuntur propter sanctiores occupationes audire vobis non liceat, initia saltem & quasi auspicia omnium legatis.*

# ORATIO

AD

*Ampliſſimos & Nobiliſſimos*

ACAD. CVRATORES,

& eorum Collegas Vrbis CONSVLES.

*Pro Bibliothecarii munere Gratiarum Actio.*

QVoties Minervam illam, Viri Ampliſſimi aſpicio, quæ in omnibus Bibliothecæ noſtrę voluminibus, caſſide armata & haſta, literarum, quæ in Vrbe hac feliciſſime coluntur, imago & inſigne habetur, toties de Academia veſtra cogito. Nam ut illam cum terribili armorum fremitu & clamore ingenti, emerſiſſe è Iovis cerebro poëtæ ferunt: ita veſtra illa Pallas, cujus nomen hodie ſplēdore ſuo ultimos Europæ limites exceſſit, inter tubas galeas & enſes, inter impetus hoſtiles, & conflictus cruentiſſimos, inter ipſa libertatis veſtræ diſcrimi-

næ, nata primum & prudenter educata fuit. Ac profecto mihi sæpe in Remp. hanc intuenti, cum & plurima ac gravissima bella, terra mariq; duce invictissimo, illustrissimorum patriæ patrum auspiciis, gesta feliciter occurrunt, & tot prope victorias quot prælia, maxima animi & corporis contentione partas contemplor, nihil tamen magis mirum videri solet, quam quę undique imminente bello, tanquam in pace fecistis. Nam dum in hostili agro fossas alii aperiunt, alii vallos ferunt, alii denique ipsas civitates operibus claudunt; dum in vestro, urbes alii muniunt, alii defendunt; artes undique ac disciplinas, quasi oberrantes, in hanc civitatem compulistis, viros literatos toto orbe convocastis, regibus ac principibus lumina sua, & quasi oculos regni eripuistis: & quod semel hic dicendum est, dum præcipue maximisque opibus foris oppugnati estis, tanquam rebus omnibus compositis, domi trophæum erexistis. non è truncis arborum aut lapidibus, non ex ære aut victorũ populorum spoliis, sed ex ipsa literarum perennitate, & magnorum hominum ingeniis: qui præclaris monumentis suis & laboribus, sibi glo-

gloriam & decus, vobis nominis æternitatem pepererunt. De Academia adhuc loquor: in qua sive partes videamus singulas, fieri nō potest, quin totius constitutionem admiremur: sive totam simul videamus, quin præcipue eas admiremur, quæ ad totam constitutionem plurimū conferre videtur. Nam cum alia aliis disciplinis ac artibus sint propria, unū omniū commune est: bibliotheca nimirum, quam totius quasi sapientiæ armamentarium, curæ diligentięq; nostrę incumbere voluistis. Quod quidem vestrum in me beneficium, si ex hominum ambitiosorum judicio metiendū sit, vereor ut vix commemorandū videatur: sin è nostro & paucorum, qui præ ocio honesto, perpetua agitatione mentis, diligenti veritatis studio, plurimarum investigatione rerum, omnia esse cōtemnenda putamus, optime & expensi vobis & accepti nobis rationem se habere existimo. Nam cum ab ætate prima, in præclaris sapientiæ autoribus, summum studium ac diligentiam posuissem, ita fere ab omnibus accepi. Esse quandam hominis felicitatem, quæ ad mentem illam immortalem, & divinitatem ipsam proxime accedat, & in

vera

vera ſolidaque voluptate poſſet verſari. Eam vero nec virtute ipſa, neque ſolis actionibus honeſtis poſſe cōparari. Quippe ſicut Deum ipſum, nemo juſtum, nemo fortem, nemo liberalem, niſi impie aut improprie vocaverit (quia actionum reſpectu, & ut de objectis illa dicuntur: juſtus enim in cōtractu, fortis in bello, liberalis in pecunia cenſetur, quæ profecto ſortem noſtram & contagionem non excedunt) ita ſolis iſtis præditus qui fuerit, eum, virum quidem bonū eſſe, Deum vero nondū imitari exiſtimamus. Illam ergo non in corpore, quod quaſi involucrum aliquod eſt hominum non ipſe homo, neq; in opibus, quæ caducæ fragileſque poſſidentur, ſed in parte quadam hominis peculiari, & qua homo eſſe dicitur, quærendam eſſe. Hujus vero partis, proprium ac peculiare quoddam eſſe opus, quod & bonum ejus vocatur. Nam ut oculus cum videt, lingua cum guſtat, auris cum audit, manus cum tangit, agere opus ſuum putatur, & hæc ipſa quoque bona in ſingulis dicuntur: ita regia illa & auguſta pars noſtri, mentem quam vocant, cum ſecura rerum cæterarum, ſibimet intenta ſoli, cōtemplatur & intel-

intelligit, id humanum ſapientes bonum, & divinam merito felicitatem appellant. quæ ſi abſoluta & perpetua eſſe poſſet, nihil à divina differret: nunc ut operis perfectione ſuperamur, ita re & opere ipſo cum Deo conjungimur. In quo ut voluptas omnium bonorum eſt, ita omnium quę bona habentur, maximus contemptus. Quippe ut artifex qui mente utitur, cum in diſponēdo opere ſecum ipſe verſatur, cæteris neglectis hoc agit: ita illa rerum humanarum gubernatrix, cum incumbere ipſa ſibi coepit, cætera aut non videt, aut neglecta tranſit. Equidem quoties hanc eruditionis ſedem, hoc ſapientiæ domicilium, hoc literarum ſecuriſſimum ſacrarium, hoc denique magnarum animarum Prytaneum, & quaſi Capitolium æternitatis aſcendo, quod preclara veſtra liberalitate nobis eſt commiſſum, toties de ambitione, quæ plerunque magnas mentes comitatur, triumphare ſoleo: nō imperatorio habitu, cum armillis & lauro, nec ſequente militum manu, ſed aſtante tot illuſtrium ingeniorum exercitu, quorum nomina immortalitati conſecrata ſunt, aſtânte omnis ævi, omnium ſæculorum populo, qui aut

Græce aut Latine, aut quocunque literarũ genere aliquam ſapientię partem coluerunt. Horum ſolo prope intuitu magnus immortalitatis ardor, & honeſta aliquid tentandi cupiditas, mẽtem noſtram inflammatam tenet, quæ ne cogitare quidem aliud permittit. Egone enim, aurum ut cujuſquam aut honores avide reſpiciam, cum quocunq; me cõvertam, nihil præter animorũ monumenta magnis viris ſupereſſe videam, corporis vero notas ne extare quidem uſquam, cæterorũ autem vix memoriam ullam ad poſteritatẽ pervenire? Me profecto ne movere quidem illa poſſunt, & cum in trãquillitatis hoc aſylum me ſubduxi, quicquid reliqui ſperare poſſunt, avide obliviſcor. Poſtquam enim ſemel omne ęvum quod elapſum eſt, & immenſam ſæculorum vaſtitatem animus ingreſſus eſt, poſtquam Rerumpublicarum ſtatus ac mutationes, bella populorum atque clades intueri cœpi, vehementer eos admirari lubet, qui aut conſulatus ſuos aut præturas eſſe poſſe æternas exiſtimant, mentem vero quæ corrumpi atque extingui non poteſt, ſine ullo cultu obſolere patiuntur. Quod ſi ocium atque ignaviam matrem eſſe

vitio-

vitiorum recte à prudentibus viris proditum memoriæ est, nihil occupatione illa fructuosius excogitari potest. Nam quemadmodum in sylva, semper aut putandum, aut cædendum, aut plantandum denique est aliquid: ita in hoc publico scientiarum penu, semper invenire potest animus quod agat. Sive enim ad Theologos venio, video delicias meas, Basilium magnum & Gregorium: quorum in altero facilitatem cum cura, in altero singularem gravitatem & splendorem, in utroque eruditam pietatem admirari satis non possum. Video Theodoreti lenitatem in dicendo, in interpretando sine ambitione ulla candorem, in errorum confutatione, planam & nervosam argumentorum copiam, maxima antiquitatis cognitione instructam. Nam quid vim Tertulliani & lacertos, quid Clementis rerum omnium scientiam, aut Hilarii cothurnum, aut Chrysostomi digressiones melle dulciores, aut acumen Augustini, aut diffusam & cum solo Cicerone conferendam Firmiani eloquentiam commemorem? sive ad Iuris peritos, video præter legum majestatem,

 quæ

quę à principe ſplendorem ſuum mutuantur, & privata omni laude majores ſunt, linguæ Latinę elegantiam ac proprietatem in divinis Pandectarum libris, limitatam quaſi & concluſam eſſe. Sive ad ſcripta medicorum, quid cum ſolo conferendum Hippocrate ulla ætas vidit? Nam ut nihil de doctrina viri & cœleſti judicio, experientia autem plus quam humana, putide arrogare mihi videar, mira perſpicuitas ſcribendi, accurata brevitas, incredibilis Ioniſmi ſuavitas, etiā dicendi magiſtris pudorem incuſſit. Mare eruditionis, Oceanus diſciplinarum, omnium ingenuarū artium receptaculum, & quaſi bibliotheca quædam, Galenus eſt. è quo medici cum omnia hauſerunt, nihilo tamen minus Criticorū induſtrię relinquunt. cujus cauſa vix minores, Ægineta & Oribaſius, Trallianus item, Aëtius & Aretęus cenſendi videntur: quanvis ut dicendi, ita ſua quoq; illis eſt docēdi proprietas. Iam ſi ad philoſophorum libros animum & oculos cōvertam, Ariſtotelem inveniam, qui diverſitate rerum ſolus humanam occupare ætatem poteſt: ordine vero ac tradendi ratione omnium conatum exceſſiſſe videtur. Video interpretū ingen-

ingentem manum: non ineptos illos barbarosque & qui duo assecuti sunt, ut & male loquerentur, & autori tenebras offunderent, sed prestantes illos, Alexandrum, Ioannem, Ammonium, Themistium, Simplicium: qui cum omnes vera laude, nemo tamen omnium est qui non aliqua peculiariter excellat. Perspicuitate Alexander, Christiana libertate Ioannes, diligentia Ammonius, facilitate Themistius, eruditione vaga quadam & diffusa Simplicius: quem profecto virum, fecialem & quasi patrem patratum Aristotelis vocare ac Platonis possis. Ita studiose hoc agit. Huc accedat Andronicus Rhodius, omnium ætate primus, quem felicitate nostra inventum, labore maximo emendatum, diligentia Latine loquentem, vestra autem liberalitate ab imperitorum hominũ dominio & potestate emancipatum, hac manu, non Feretrio aut Statori, sed in arce vestri Apollinis, Musis & earum parenti Memorię sacravi. Qui non libros De natura, non De refellẽdi arte aut disputandi, quibus vita hæc carere potest, sed qui veram solidamque vitæ sapientiam docent, sole ipso, ipso die clarius interpretatus est. Neque

de Plutarcho quicquam adhuc dixi: qui compendium eruditionis, prudētiæ thesaurus, antiquitatum utriusq; gentis promicondus est: neq; simplicem illam, venustam, facundam, sed inaffectatam tamen Xenophontis suavitatem attigi. Quantum Dii Deæque ignorare, quanta voluptate carere eos est necesse, qui hos nunquam degustarunt, aut quod satis admirari nō possum, lingua aliena potius quam sua, loqui audiverunt? Nam quod nectar, quæ ambrosia usquam esse potest, quæ Socratica illa Ironia, & dissimulandi lepore sit suavior? Iam de Caio Plinio quid dicam? qui naturam universam & utrunque mundum, plane inusitata ante cæteris audacia, sex præclaris illis & triginta voluminibus inclusit? qui imperio Romano, cui terra habitabilis cessisset, cœlum quoque adjecit. Quod non armis aut vi bellica, non ariete aut balista, sed sublimi animo, & invicta industria, expugnandum fuit. Quod si laudem illi merebantur maximam, qui ignotum aliquod Romanis animal, elephantem puta aut marinum passerem, primi exhibebant; si Pompejus ille Magnus, tertio triumpho, quem de piratis,

ratis, Asia, Pontoq; egit, Lunam pondo circiter triginta auream monstrasse dicitur: quanto majus fuit, Solem ipsum ac Lunam, cum errantibus ac fixis, nondum satis Italis perspectam, omnium oculis subjecisse? quibus animalibus, ut Plato loqui solet, nihil Deus & natura magis admirādum fecerunt. Quem quidem ipsum Platonem quo piaculo omitto? cujus magnitudine animus assurgit, & commemoratione sola quasi ad divinitatis occursum cōmovetur: maxime tamen quoties ambitiosos istos video, qui cum votis suis luctantur, qui optando sæpe pereunt, & cum perierunt, optare rursus nō desinunt, Alcibiadem posteriorem evolvo. Videre enim videor quasi è specula, universum hominum genus, quorum vix est quisquam, qui non aut sperando aut optando consenescat (alii quippe opes, alii honores, alii longævitatem, alii liberos, alii agros, alii alia poscunt) supra autem in excelsa quadam rupe, senem quendam facie agresti, bardo stupidoque aspectu, simum, gibbosum, scissili palliastro indutum (talem enim Socratem depingunt) qui nil præter animi tranquillitatem

optat,

optat, cætera uni Deo committit. Sedebat inter libros suos ac chartas, cum nil præter Alcibiadem Athenienses loquerentur, & ardentem animum adolescentis nimia adulatione sors inflammaret, cum de Hellesponto ac Byzantio, magnaque parte Asiæ, triumpharet: idem cum fortuna de hoc ipso triumpharet, in eodem loco tutus ac securus sedebat. Sedebat, inquã, pauper ac deformis senecio, quem ne inter muliones quidem suos quisquã æstimasset, qui ætatem omnem animo complexus, totam fortunæ rationem subducebat: quæ plerosque quos in ære suo habet petulanter admodum exercet. Opes quas tam multi petunt, rex Lydorum impetrarat, sed ut caperetur: dignitates quas pleriq; ambiunt, Miltiades tenebat, sed ut expiraret in vinculis: Priamus longævitatem, sed ut tot suorum funera propemodũ quot annos videret. Cyrus Persiæ rex filium, verum ut ab eo proderetur. Agros plurimos Themistocles, qui vix apud Barbaros sepulchrum invenit. Quæ cum diligenter observasset, solus neque optavit quicquam, & quæ cæteri timerent fortiter cõtempsit. Omnes paupertatem timent, Socrates contem-

contempsit: omnes mortem horrent, ille vero etiam optavit. Quippe cum manu saluberrimum illud poculum teneret, & jam haustu unico à morte abesset, nondum desiit jocari: nam cum amicissimum adolescentem Phædonem juxta se videret, tristem admodum & perculsum, Phœdo noster, inquit, salvi sumus. jam de gallo cogitandum est. Alii mortem hominis interitum, ille incolumitatem sui vocabat: semper enim mori didicerat dum viveret, & cum mori juberetur, semper se victurũ putabat. Etenim ut miles sine exercitatione ad prœlium admitti nõ solet, ita sine longa contemplatione mortem animus contemnere non potest. Hæc exercitatio quietem amat, solitudinem desiderat, & ut sacra antiquorum, longum pertinaxque silentium requirit. Si quis enim ultimum humanitatis bonum semel assecutus est, nec timere amplius cum omnibus, & sperare aliquid cum Socrate audebit. Nam cum animus corpori, animo mens ipsa, menti vero imperet Deus, si quis ita vivat, ut à populo corpus, mentem ab animo, quantum fieri potest, semoveat, secum vero & cum Deo conjungat, solidæ felici-

tatis viam est ingressus. Etenim ut alia aliis cōveniunt, ita unicum felicitatis instrumentum mens est: quam si quisquam ita colat, ut & oculos ab omni pulchritudine, & aures longe ab omni strepitu avertat, sensus vero alios diligenter cohibeat, ne vel hac vel illac quicquam pervenire ad eam possit, quo turbetur (quasi enim clavo quodam sensibus affixa mens hæret, & in quanvis partem facile impellitur) toti autem illi sine cura ulla sit intentus, & in contemplationem veritatis incumbat, omnem regiam conditionem longe est transgressus, & in ultimo felicitatis nostræ objecto versatur, qui est veri intellectus & Dei. Quæ adiri nullo sensu, nulla ratione externa pervideri possunt. Sicut enim vehementer erret, qui ut pulchram intueri imaginem possit, aures admoveat, aut ut harmoniam quandam audire possit, oculos intēdat; ita qui ad cōtemplationem veritatis aliter quam sola mēte perveniri posse putat, frustra laborat. Hanc vero ipsam mors non interrumpit, sed absolvit; & qui semper corpore invito umbram veritatis assecutus est, exuto ejus onere, ipsam intuetur. Hoc à Melito beneficiū Socrates accepit, hanc

felici-

felicitatem Anyto debebat. Stabant à carcere nō procul, in quo homini ſanctiſſimo abeundum erat, fœda ſcelerum mancipia, & fortaſſe ultimum ejus gemitũ haurire exoptabant. Ille vero aliud agendo lepide egreſſus eſt: toti vero populo Atheniēſium triſte & acerbum ſui deſiderium reliquit. Si quis quærat cur tam pauci ita ſe exerceant, breviter dicam, paucis vacat. Alii in aulis vivunt, in corrupta Rep. alii, alii in foro, ubi ſenſus animum, animus mentem involuit, ne intenta eſſe bono ſuo poſſit. Quod ſi rhetorem in caſtris, dialecticum in foro, mathematicum in via meditari poſſe putamus: credam eos quoque menti intentos eſſe poſſe, qui ſic vivunt. Illa vero pars divina cum à corpore abire non poſſit, quantum poteſt ab hominibus recedit, & cum ſola ſecũ ipſa vivit, nulli quicquã invidere poteſt. Cum placere ſibi cœpit, omnes voluptates à ſe ſpernit: verã enim ſolidamq; invênit. Equidem ut de me rurſus dicam aliquid, cũ Remp. hanc meam aſpicio, cui me præeſſe voluiſtis, cum illuſtres illos cives cōtemplor, quorũ corpora naturæ conceſſerunt, animarum aliqua imago in hoc ipſo loco eſt concluſa, fieri non

potest, quin hilaritate perfundar, & tranquillitatem meam regnis aliorũ & potentiæ opponam. Nam si nemo civitates suas ita unquam potuit munire, ut cum hostes exclusisset, curas quoque arcere posset, longe me feliciorem, qui apertis regni mei foribus tutus & securus vivam. sin habenda subditorum aliqua est ratio, hi sunt illi viri, quos in tam angusto hoc loco mecum conjunxistis, cui Magnus Alexander, quod jam vivat, C. Cæsar quod adhuc triumphet, omnes denique & ubique reges, immortalitatem debent suam; hi sunt sapientiæ magistri, præceptores veritatis, disciplinarum omnium consulti; delibuti & discerpti ex æternitate animi. quorũ alii sexcentos, alii nongentos, alii etiam bis mille annos sunt locuti, & humanæ vitæ brevitatem claritate mentis extenderunt. Cum his maximis de rebus suaviter conferre, quanta est voluptas! cum his ludos jocosque, seria etiam miscere posse, quanta delectatio est! Quod si institutum nostrum, & hanc vitam, quidam semiliterati in foro aut alibi contemnunt, qui aut prehẽsando, aut cursando, aut facundiam locando, diem consumunt, sic profecto pares

jam

jam sumus. nam nisi hos vicissim contempsissem, nunquam ab eorum instituto, recedendum mihi putassem. Animus vero incredibili amore literarum flagrans, liberum à vobis, cogitandi, commentandi, contemplandi locum, & pulcherrimum hospitium accepit. Gratias ergo vobis, Nobilissimi, Amplissimique viri, habeo, & si ulla referendi ratio excogitari poterit, ne de illa quidem cogitare desinemus. Quicquid enim in hac ęde Musarum & Apollinis oraculo, vestris auspiciis, labore autem nostro atque industria, inveniri feliciter, observari diligenter, accurate annotari poterit, id omne laudi vestræ atque existimationi accedet. Et quandoquidem magnitudine animi, reges imitari didicistis, quorum instituta hactenus probastis, eos voluntate quoque in hac diligentia æquate. Septuaginta millia librorum Ptolomæum instruxisse aiunt, & hāc curam Phalereo commisit. Cæsar dictator, domi omnium forisque compos, mox armatæ togæ victima futurus, magnam vim librorum undique collegit: neq; populū victorem sine hoc sapientiæ instrumento, recte posse vivere existimavit. Cæsar Augustus, cum hæreditate

70000 volum. in Biblioth. Ptolemæi

curam hanc suscepit, & quod inchoatū à parente erat, animose absolvit. Quod si illam Martis urbem, bellicæ furoris sedem, & quæ semper arma vel inferret sua, vel timeret aliena, publico librorum armario carere omnino nō posse principes terrarum judicarunt, quonam illa modo quę devota, dedicata, cōsecrata est Minervæ à vobis, quam tot aliæ intuentur ac respiciunt provinciæ, quam Germani, Galli, Angli, Poloni adeunt quotidie, ut ab ea vitę cultum, disciplinarum ornamenta, omnem elegantem doctrinam petant, istis sapientiæ magistris carebit? Atqui ita est profecto, Viri præstātissimi, sicut opulenti domū civis, quæ in laxitatem ruris excurrit, cujus pavimenta musivo opere, trāsmarino marmore parietes, auro & argento distinguuntur laquearia, in quo omnia eximia, sumptuosa, admiranda sunt, sine tamen supellectile nemo habitare potest: ita Academiam vestram quam mirantur omnes, sine necessaria ista eruditionis supellectile, plenam & perfectam esse non posse, omnes fatentur.

EIΣ

## ΕΙΣ ΤΗΝ ΒΙΒΛΙΟΘΗΚΗΝ.

Ψυχέων παμβασίλειαν ὁρᾷς σοφὰ μητιοωσῶν,
 Γαίης Αὐσονίης, ξεῖνε, καὶ Ἑλλαδικῆς,
Ἡσυχίης πρυτανεῖον, ἕδος νόου, ὅρμον Ἀθήνης,
 Ἱερὸν γηθοσύνης, ναὸν ἐλευθερίης.
Θνητοὶ ἀεὶ ζώοντες, ἀεὶ λαλέουσα σιωπὴ
 Ἀνδρῶν οἰχομένων ἐνθάδε ναιετάει.
Οὔπω τοίην Κροῖσος ἄναξ βασιλείαν ἔναιεν·
 Αὐτὰρ ὁ Φαιναρέτης παῖς, καὶ Ἀριστονίδης.

# ORATIO PINDARI PYTHIIS PRÆMISSA.

In qua ostenditur quomodo veteres philosophi poëtarum scriptis sint usi.

D

## ΤΩΝ ΕΝΝΕΑ ΛΥΡΙΚΩΝ ΠΕΡΙ·

ὡς ἀπὸ Πινδάρου.

Ἄλλοι μὰν παίσδοντι καὶ ἄδεα πολλὰ χέοντι
Φόρμιγγος λιγυρᾶς ἄνδρες ἐφαψάμενοι.
Στασιχόρω καλὸν αὖθος ἐπιπρέπει· Ἀρχιλόχω δὲ
Πικρὰ ῥεῖ ἀδιναῖ μέτρα κακαγορειᾶν.
Ἀλκμὰν δὴ γλυκύς ἐντι καὶ Ἴβυκος· ἁ δὲ γοώδης
Αἴλινον οἰμώσδει μοῖσα Σιμωνίδεω.
Τὸ σθένος Ἀλκαίοιο πολὺ προβέβακεν ἁπάντων,
Βακχυλίδα πειθὼ στάθεσιν ἐμπέφυε.
Αὐτὰρ Ἀνακρείοντι νέον μέλι μοῖσα κέρασσε,
Τὰν δεκάταν Σαπφὼ εἶπαλε Πιερίδα.
Ἄλλα μέλοι ἑτέροισιν· ἐμοὶ δὲ ἄρα καὶ Διῒ μόνον
Τὰν κρατερὰν βροντὰν λείπετε καὶ στεροπάν.

QVemadmodū antiqui ſcriptores, Auditores Ornatiſſimi, cæteris numinibus, aliis alia arma tribuunt, Minervæ galeam, Neptuno tridentem, ſagittas Apollini, ſoli vero Iovi tonitru ac fulmen relinquunt: ita veterum ſcriptorum cenſores, aliis poëtis aliam virtutem aſſcribunt: ſoli Pindaro ſublimitatem, majeſtatem, ac cœleſtem quendam ſpiritum concedunt. Ac plerique quidem, qui virtutes hujus viri attigerunt, aliorum fere judiciis nituntur, quorum præcipuus, carminis ejuſdem laude cenſendus autor, Flaccus eſt: qui ad vim verborum, pondus ſententiarum, denſitatem rerum, ſubitos illos ac divinos motus, quorum tanta hic eſt copia, conatum aſpirare humanum poſſe negat. Omitto Fabium & Halicarnaſſeum dicēdi magiſtrum, omitto alios, qui & multa & veriſſima, & pauciora tamen quam res ipſa eſſet, dixerunt. Mihi vero qui non conſuetudine modo atque inſtituto, ſed naturæ quoq; ipſius inſtinctu, abhorrere à vulgo ſoleam, decipi illi atque errare videntur. Nam ut illi qui

lac candidum, mel dulce, harmoniam aliquã plenam & perfectam esse putant, nullam autoritatem, nullius suffragium, nullum alicujus quærunt aut admittunt judicium, quin potius quæ sensus objecta sunt, solo sensu illo cui opponuntur, tractant ac distinguunt: ita mihi miseri atque infelices videntur, qui quæ ipsi mente ac animo vident, de his credere, quam judicare malunt. Quod si quisquam ita obsurdescit, ut nec militũ clamorem prima in acie, neque tympanorum sonitum audire possit, illi ego quia auribus nõ utitur, alieno testimonio ut utatur facile cõcedam. Si quis vero est, quales esse omnes debemus, cui nõ modo aures illa, sed & animum quoque ipsum vi quadam admirabili percellunt, excitãt, attollunt, huc atque illuc rapiunt, neque sui compotem consistere ultra patiuntur, quin ad arma furibundus atque attonitus prorumpat, cædem hostium atq; cladem exhalet, in vultu in oculis denique ipsis signa concitatæ mentis elucescant, ut judicium de iis alienum requirat, quæ per omnes Deos amentia est? Atque ego quidem, optimi adolescentes, sæpe è medicorum filiis audivi, morbum esse quendam, cui lethar-

lethargo nomē est: eo morbo si quis teneatur, gravissimo sopore, & inexpugnabili necessitate dormiēdi sensus impediri, corpus, aut cadaver verius, perpetuo marcore detineri, humi aut in stratis sine motu & spe vitæ, quem locum ante mali accessum occuparit, eum cōtinenter obtinere: nihil ut audiat, videat, tangat, gustet, aut sapiat. Hoc mihi hodie morbo laborare videntur, qui in poëtarum scriptis versantur. Dudum enim ea intelligere desiimus, quæ in iis veteres tantopere admirarētur: pro iis vero inepta quædam, trivialia, & minuta plerique rimamur. Dicam, & fortasse cum fructu dicam vestro, periit nobis genuina illa poëtas interpretandi ratio, postquam sterile Grammaticorum studium fines suos evagari, & in alienos pedem terminos proferre cœpit. Quippe ut Geometriam, præstātissimam philosophiæ partem, multi sordidam & intra usus tantum quotidianos necessariam existimant, postquā agros metiri, murum erigere, & in hæc tam abjecta eam deprimere homines cœperunt: ita, pace vestra dicam, sapientiæ injuriam fecistis, qui in poëtarum libris aliud quam ipsam quæsivistis. Pro-

 ditum

ditum memoriæ in Græcorum Annalibus legimus, Brennum fuiſſe quẽdam, qui cum maximo Gallorum exercitu, poſtquam totum fere orbem terrarum pervagatus eſſet, Macedoniamq; exhauſiſſet univerſam, urbem Delphicam invaſerit, & in templum Apollinis, tanquam humanæ jam prædæ ſatur, vim armorũ direxerit: huic nihil aliud in votis fuiſſe, quam ut ſtatuas Deorum, donaria populorũ, vaſa ſacra, & quæcunque avaritiæ humanæ religio exemerat, diriperet, conflaret, in profanos aut obſcenos etiam uſus converteret. Credite idem nobis eveniſſe. Templa Apollinis, delubra Muſarum, ornamenta ſapientiæ, donaria virtutis, quæ in ſacro poëtarum adyto concluſa atque obſignata jacebant, invaſerunt & abuſi ſunt profani quidam homines, qui in literarum contemplatione & ſyllabarum, rerum divinarum vim & majeſtatem conſumpſerunt. Video Platonem noſtrum cum de animarum immortalitāte agit, Pindarum autorem hujus ſententiæ laudare: video eundẽ in Theæteto cum de mentis vi & præſtantia, hujus ore loqui: ſed & in Republica, cum de fraude ac juſtitia, tanquam è tripode, autori-

autoritate hujus niti. Dii eos atq; homines perdant, qui ex auro tam præſtanti, peluim primi aut matulam fecerunt: qui ne pueri in ſcholis neſcirent, cujus temporis aut modi ſit vox aliqua, modum omnem intemperantiæ ac vanitatis egreſſi ſunt; tempus vero cujus ſacroſancta eſt poſſeſſio, nihil agendo perdiderunt. Nam dum his intentus noſter animus, folia arborum ſectatur aut umbram, ipſi nobis fructus intercepti ſunt. Nemo robur eloquentiæ, nemo rerum ac verborum ſplendorem, nemo dignitatem ſermonis, & cœleſtes impetus, nemo tot auguſtas ſententias, tot virtutis præcepta, tot oracula examinat, quæ ſi in Platone nobis aut Ariſtotele occurrerent, digna putaremus, quibus vitam, quibus mores quiſque noſtrûm emendaret. Nunc, quod de Phineis dapibus poëtæ ſcripſerunt, quicquid infeſtæ iſtæ aves ſemel delibarunt, nemo eſt qui in ſtomachū demittat. Atqui expugnanda eſt hæc nauſea, ejiciēdus hic ſtupor, hic veternus animi & torpor: ne autores ſemper adducamus veteres, nihil autem ipſi videamus; & quæ tam præclara eſſe aliis credimus, uſum eorum nunquam ſentiamus. Lacedæmonios

aiunt,

aiunt, viros fortissimos, quoties cum hoste cōgressuri essent, nō cornibus aut tympanis, nō tubarum clangore, sed poëtę Tyrtæi versibus mentes suas atq; animos ad virtutem inflammasse. Videbant quippe viri immortalitate dignissimi, nō tam strepitum inanem, & clamorem sine mente, quam perfectam eloquētiam, quæ & rythmis suis numerisque astricta esset, & virtutem solam commendaret, animo nostro vim quandam humana majorem inspirare: reliqua brutis animalibus relinquēda esse, quæ ut voce quoque utuntur sed confusa, ita tali quoque excitari solent. Estne autem aliquis è vobis, qui his viris defuisse syllabarium magistrum dolebit, qui in prima acie, ferula armatus, quod solenne monarchiæ hujus sceptrum est, in Tyrtæo ordinem verborum, rationem syllabarū, quid aut nomen esset aut verbum, ostenderet? Forte enim metuendum fuit, ne tam imperiti illuc irent, unde nunquam redituri erant, aut constructionis rationem Rhadamanto reddituri aut Minoi essent. Idne Othryaden aut sublimem illum Leonidem, qui divini animi sui nervis & cervicibus universam Persiam sustinuit, curæ fuisse

fuisse arbitramini? Atq; neque illis scire quicquam amplius vacabat, quibus tam proclive erat mori: neque nobis in tam sterili argumento moriendum erat, qui de vita recte atque ordine instituenda cogitamus. Et tamen moriar, si non in hac prima, quam videtis Pythiorum ode, plus sit virium, sapientiæ, nervorum, quam in iis versibus Tyrtæi, quorum sola recitatione illis vita sordebat. Quid ergo? Illi res, verba Grammatici spectāt: illi virtutem adferebant, hi scientiam solam affectant: quæ si nimis diffundatur, & molestiam sine fructu, & cognitionem sine usu habet. Neque hoc profecto jam ago, ut scientiarum omnium ac disciplinarū fundamenta convellam, muros quibus reliqua innituntur & fulcimenta evertam, ei denique facultati quicquam detraham, quæ, ut recte dixit Fabius, *necessaria pueris, senibus jucunda est*, neque ignoro nos jam cōsuetudine eo adductos esse, ut cum reliquis peccemus: tantum nunc de iis loquor, qui cum Academiis scholas, pædagogi munus cum professione, limites denique artium inter se confundunt & terminos. Hoc postremo nunc dicam. Exempla sibi fabricēt,

excogitent, fingant, quibus regulas ſuas, canones, præcepta confirment Grammatici: poëtarum ſcripta, quos non ſtulte modo ſed & arrogãter invadunt, qui virtutẽ animis inſtillant, ita ſibi vindicent, ut cum artem hac autoritate ſuam confirmarint, cætera aliis relinquant. Homerum, Pindarum, Heſiodum, Euripidem, viris concedant. Neque ægre ferant, ſi hic audiant,

*———— ſacer eſt locus, extra*
*Mejete. ————*

An enim ego ſi impatienter feram, tam profligati pudoris eſſe quenquam, ut cum Phædrum Platonis, aut Phædonem in manus ſumpſerit, eorum Ariſtotelis librorum, qui poſt naturales diſcuntur, explicationem promiſerit, nihil præter vocum origines, aut ſignificationes verborũ in iis examinet: æquiore feram animo, in Pindaro id fieri, qui virtutem, aut Nicandro, qui venena eorumque vires ac remedia, aut in Homero, qui res omnes complectitur? Niſi forte publica proſtibula eſſe poëtarũ ſcripta ignaviſſimi credunt homines, quibus è lubidinis ſuæ inſtinctu quemlibet abuti jus atque uſus ſinit. quod jam olim in Ho-

in Homero audacissime factum esse, merito antiqui cõqueruntur. Nõdum Ilias & Odyssea, tot ineptis observatiunculis, tot Græcorũ deliriis, & scholiis obsessa fuerant: nondum argumentum & materiam tot suspiciunculis, obeliscis, lectionibus præbuerant, cum Peripateticorum princeps nihil majus in tam ampla veterum autorum copia, invenire aut offerre regi suo potuit. Nõ prestantes illos centũ & quinquaginta octo libros quos De populorũ sui temporis omniũ Rebus publicis cõscripserat: non divinos illos ad Nicomachum De moribus, non Platonem; non è sancta Italorum secta aliquem. quorũ hercule literæ quoq; & syllabæ (Dorice enim loquuntur) virtutem mihi inspirare animis videntur. Ibat juvenis terrarum domitor, per tot populos quot vinceret, duplici volumine onustus: & cum Indos auro divites gemmisque expugnasset, nil adhuc Homero preciosius ostendere poterat. Idem ille cum Thebarum urbem funditus deleri jussisset, postquam ædes vatis nostri accessit, hæsit, stupuit: & ingentem illum spiritum, quem non arma, non gentes, non inaccessæ Diis quoque rupes, non Oceanus ipse, siste-

re ac debilitare potuerunt, sola tantæ virtutis recordatione cohibuit. Civitatem, inquit, delete: domum unicam relinquite. Quod & versu illo est testatus.

Πινδάρε τε̃ μεσοποιε̃ τὴν στέγην μὴ καίετε.

Et fortasse tamen ignorabat Alexander, quot Olympiorum ode prima colis, quot ea cola syllabis, quot unumquodque carmen periodis constaret. Idem ignorare quoque Hiero, Siculorum tyrannus poterat, cui primam Pythiorum oden poëta inscripsit. Cætera profecto non potuit, quibus ad virtutem, ad gloriam, ad laudem, ad magnanimitatem animi, quovis tubicine ac cornicine eum vehementius in fine carminis impellit. Quorum mentem fusius aliquanto atque uberius, à me hic expositam habete.

*Idem ergo age quod gubernatores solent navium: velum tuum ventis expande. Cave turpi lucro regiū istum animum submittas. Semper de futura hominum existimatione cogita. Eam animo tuo infige. Sola illa quippe mortuorum hominum vitam extendit: si præsertim à poëtis atque oratoribus celebrentur. Nunquam præstans illa Crœsi virtus, singulari quadam comitate temperata*

*perata interit: Barbarum vero illum atque immanem Phalarim, qui crudeli tauro & accensis ignibus, miseros mortales cruciasse dicitur, fama par ubiq; sequitur. Nunquam illum in clarorum hominum consortiis, pueri, fidibus suis, prout mos est, & sermone celebrant. Porro prospera fortuna uti, primum homini est præmium: bene vero audire, proxima est felicitas. Utrunq; autem cui evenit, tanquam in certamine, supremam jam coronam consecutus est.*

Vmbram aliquam videtis, effigiem non corpus. Etenim ut illi, qui aut minus quam natura patitur cibi assumunt, aut aviditate nimia corpus onerãt, tabem incurrunt: ita tam quod addis, quam quod demis, majestati viri hujus & splendori decedit. Estne tam ignavus quisquam, qui in hoc verborum & sententiarum igne, cinerem non flammam respicit: & cum pauca quædam de Phalaride & Crœso intellexerit, reliqua è manibus deponit? Non translationum ardorem, non præcepta vitæ, non prudentiam examinat? Velum, inquit, expande: id est, Animum illũ tuum, rex, tantæ fortunæ capacem erige, cursuque, ut cœpisti inoffenso, æquor hoc gloriæ decurre. Sed profe-

cto vide ne impingas. Ingens tibi adversaria proposita est. Quæris quid sit illud? Quod plerunque regna evertit, regum animos enervat atque effœminat, gloriæ cupiditatem illam ac sitim, quæ nunc maxima & insatiabilis in te flagrat, funditus restinguit. Is est lucri odor. qui non vi, nō armata manu in certamen venit, sed occulta quadam fraude leniter irrepit: non aperto palam Marte cōgreditur, sed paulatim quasi pestilēti sidere omnem intus animi lubidinem corrumpit. Huic ut fortiter, ô rex, ipse te opponas, tempus omne, & futuram tibi ævi magnitudinem, tot annorum post te spatia, propone. Aliquid post vitam istam, quā jam ducis, superesse credas. Famam hominum proborum, & existimationem sceleratorum tecum ipse distingue. Ne quid erres, nihil vestrum aut latere potest, aut subduci posteris. Omnia oratores, omnia poetæ commemorant, omnia immortalitati tradunt. Vtriusque luculentum tibi dare exemplum possum. Crœsi singularem liberalitatem quo favore, quo applausu prosequuntur homines? cōtra vero immanem illum, & scelestum Phalaridem, quis nō diris detestatur plurimis?

Nul-

Nullam illi laudis partem quiſquam cõcedit: non in ſermonibus, non in epulis, ubi viri præſtantes cantu fidibuſque puerorum celebrari ſolent. Succeſſus quippe cum virtute cõjunctus primum veſtræ ſortis bonum eſt: huic ſi judicium quoque hominum & gloria accedat, quod ulterius expectet majeſtas veſtra, non habet. Hæc ſi Alexandro ſuo Ariſtoteles, Dionyſio Plato, Cyro ſuo Xenophon proponeret, non ſapienter magis, & fortaſſe minus eloquenter eadem dixiſſent. Eant nunc abjectæ illæ animæ, & ineptis ſuis quæſtiunlis, frigidam autoribus ſuffundant, quorum uſum aut ignorant aut pervertunt. Neque tamen tertiam eorum partem audiviſtis, quæ prudenter, quæ graviter, quæ ſancte in hoc carmine dicuntur. De origine virtutis & autore ejus, Ariſtoteles & Plato, quam diffuſe, quam varie, & nonnunquam etiam intricate diſputarunt? Ille quidem in Moralibus, hic in Menone, Protagora, Theage, Euthydemo. Vt omittam Plutarchum, Xenocratem, Critonem, Simonem Socraticum & alios: qui diverſum quiſque iter ſequuntur. Alii quippe conſuetudine & habitu, alii præceptis & doctrina,

ctrina, comparandam eſſe putant. Alii Deo omnia tribuunt, alii nihil.

*Ne pueri, ne tanta animis aſſueſcite bella.*

Quare factioſe rem geritis? quare in partes ſeceditis? quare veritatem ipſam, quæ tantũ una eſſe & ſimplex poteſt, peſſime divulſum ac dilaceratũ ivistis? Cygnum Thebanũ audite, hoc oraculum conſulite, quod non furibunda Delphis Pythia, non Dodonæus Iupiter aut Ammon, non Iſmenius Apollo aut Clarius, non vicani aruſpices aut de circo Aſtrologi,

*Non enim ſunt ii aut arte divini aut ſcientia,*
*Sed ſuperſtitioſi vates, impudenteſque arioli,*
*Qui ſibi ſemitam non ſapiunt, alteri monſtrant viam,*

Verum poëta, magnus Apollinis ſacerdos, effundit.

Ἐκ θεῶν γὰρ μαχαναὶ πᾶ-
σαι βροτέαις ἀρεταῖς·
καὶ σοφοὶ, καὶ χερσὶ βια-
ταὶ, περίγλωσσοί τ' ἔφυν.

*Dii*, inquit, *rationem omnis humanæ virtutis ac inſtrumenta ſuppeditant: ex hoc fonte ſapientia, fortitudo, ac eloquentia dimanat*. Quæris quæ virtutis ſit cauſa? Paululum morare, & diſtinctionem accipe

cipe. Duplicem hic video. Homo enim, inquit, mille rationes, mille vias, mille artes invenit & modos, quibus ad possessionem virtutis pervenire possit. has poëta machinas nūc vocat. Eas ergo ipsas, si asscribas homini, impius, profanus, sacrilegus videris. Altius eundum est. Omnes, inquit, hæ virtutum machinæ à Deo sunt. Nam ut mille operarii domum cum fabricant, prima tamen causa est architecti ratio: ita cōsuetudinem in homine, ac præcepta bene agendi, causam esse virtutis nemo negat; prima tamen solus est Deus. Huc accedant sane istę philosophorum voces, quanvis à poëta dicuntur,

*Ego Deûm genus esse dixi semper & dicam cælitum,*
*Sed eos non curare opinor quid agat humanum genus.*

Huc accedant impii & profani isti talpæ, qui ex Epicuri sui hortis & areolis, adamante quovis firmiorem, quavis luce certiorem de divinitate opinionem, cum qua omnes nascimur & educamur, tanquam pulverem aut molle lutum evertere & turbare conantur: qui caliginem qua Deus animos eorum ac mentes damnavit, voluptate languidi, ocio & torpo-

re marcidi, neque quicquam nisi callidi obsoniorum arbitri, & vinorum erudituli censores, universo mundo objicere conantur. & in angulis suis tanquã feræ lucifugæ & lustris, cœlum oppugnant. Quas opinionum pestes ac contagia, ut præsertim hac ætate diligenter caveatis, nemo gravius monebit hoc auctore, cui pietatis laudem, quæ virtutũ columen & quasi mater est, merito attribuit vetustas. Hunc eundem tamen locum si Grammatico examinandũ tradas, audite quæso quid sit dicturus. Vocem ibi esse quandam quæ facundiam designat, rarum ejus usum esse, ac idcirco observandum. Eam vocem ex duabus componi aliis, quarũ vim, usum, rationem aliquot exemplis confirmabit. Quæ nos nec damnamus, & quotidie eadem præstamus: nam & ipsum Socratem non raro ita egisse meminimus, ut naturam dictionum singularum & causam inquireret: neq; hoc tamen loco sine iis sapere non possumus. Aliud nunc agitur, aliud quæritur, aliud est in quo laboramus. Quippe si Macedonem illum pauci reprehẽdunt, multi etiam vehementer commendant, quod invicto animi & corporis labore, nulla neque siccitate

citate regionis, neque aquarum deterritus penuria, ad Ammonem usque penetravit, ne de vero parente suo dubitare amplius posset, cur laborem aliquis immerito à nobis sumi putabit, si originem virtutis ac causam videamus? Noli, rogo te, quicunque es interpellare hoc sacrum, cave vitium auspicio facias, cave humana cum divinis commisceas. Nam ut in eodem campo, taurus herbam, canis leporem, ciconia investigat serpentem: & ut in eodem illo carcere in quo Socrates de morte disputabat, in eadem illa domo in qua Cato pertinacem illam libertatis emittebat animam, tessera aliquis fortasse ocium fallebat aut pila, ita & nos eodem in loco multum distamus. Quantum vero jam attende. Audivisti olim credo, insolentem quendam regem Persarū fuisse, qui naturæ vim inferret, montem navigaret, Hellespōtum jungeret, compedes Neptuno ac vincula immitteret: hic cum per Pylarum claustra tantam populorum undam, in reginam tum terrarum Græciam effunderet; ut nec terra tot alendis sufficeret nec aquę, & vix locum invenire posset, in quo perderet tot homines, quot miserrimus mortalium servare

posse se existimabat; magnus primo omnes terror invasit. Sed præcipue Athenas, quę tum opibus, potentia, virtute, reliquis facile antecellerent. In tam subito pavore, alii hominũ, alii Deorum opem implorabant. Delphos subito mittuntur, qui oraculum adirent: rogantibus Apollo respondet;

> Τεῖχος Τριτογενεῖ ξύλινον διδοῖ εὐρύοπα Ζεύς,
> Μοῦνον ἀπόρθητον τελέθειν, τό, τε τέκνό τ' ὀνήσει.

Vrbem, inquã, ligneis in muris salvam fore. Dum de hujus mente oraculi & Athenarum salute agitur, proponamus nobis mediam in cõcionem venisse hominem, barba promissa, pallidum, pannosum, macilentum, qui hoc modo cives compellaret. Hodie Viri Athenienses oraculum ad nos misit Deus, in quo summa rei vertitur: interpretationem ejus à me accipite. *Carmen est Heroicum, alii Epicum vocant: id dimensionibus tribus, pedibus sex cõstat. De inventore dubitari video: alii Phemonoen quandam, alii Thalem, alii Pherecydem, alii Dodonæas illas columbas, fuisse volunt. Quid autem jubet Deus? Audite quæso ac favete.* Et cum omnes rursus ora in hominem ac vultum cõjecissent, ibi tum sic denuo cœpisse. *Prima vox oraculi est* τεῖχος, quod à

τεύχω

*τεύχω viri ſapientes deduxerunt, ſicut ξύλον à ξύω. nulla enim materia magis eſt idonea πρὸς τὴν ξύσιν: ut nimirum levigari & exaſciari poßit. Iam Τριτογενὴς Minerva eſt: ita enim à torrente in Bœotia dici putatur, aut in Libya, ut quibuſdam placet: vel quod menſis die tertio ſit nata: quod quidem mihi arridet, niſi vobis, viri Athenienſes, ſecus videatur. Nam & hodie in hac urbe dies iſte ſacer habetur. Novi qui diceret à τρεῖν ita dictam, quod terrorem hoſtibus immittat. Eſt nõ nemo qui à tribus anni tempeſtatibus ſic primo vocatam in Ægypto velit: quartam enim illi non norunt. Διδοῖ eſt profecto poeticum, pro quo δίδωσι dicendum erat.*
Atque ita dum ad finem perveniſſet, neq; ultra addidiſſe quicquam. Vt de reliquis nil dicam, quid Themiſtoclem fuiſſe reſpõſurum creditis? Quid vero aliud, quam quod quiſque noſtrûm in re ſimili? *Tibi quidem, optime virorum, alio opus eſſe oraculo video, utrum albo an nigro potius veratro caput iſtud tuum expurgari debeat. Quanquam de his Æſculapius & medici reſpondeant. qui quid hac in parte ſit agendum, melius videbunt. Morbus tuus eſt μανία: ea vox à μαίνεσθαι deducitur. Quam tu niſi diligenter curas, non in ligneo profecto muro, ſed in ferreo ſervaberis. Nos hic de ſalute interim Reip. agemus.*
Et mox iterum ad omnes. Murus iſte, ô Athe-

 nien-

nienses, naves sunt. Iis conjuges ac liberos, relicto hoc solo his laribus & focis pro se quisque imponat. Ita Salaminem petemus: id enim monemur. Ibi Græciam aut vindicabimus manu, aut occumbemus. Cōsilium Themistoclis secuti sunt Græci, & vicerunt. Idem ego vos ut faciatis autor sum. Ea quæ Grammaticorū sunt, vel privatim per vos quisque, vel è nobis obiter intelligetis, ut prodesse omnino hic autor vobis possit, majora sunt quæ requiruntur. Maximus in rebus humanis facundiæ usus est: hinc colorem, figuras, nervos, succum orationis vividū illum & sublimem haurite. Major sapientiæ; totidem hic præcepta vitæ quot propemodum verba aut syllabas videtis. Expergiscimini honesta pectora, laudi destinata juventus, neque illorum vos autoritas abripiat, qui cum nullam ferre eruditionem possint, solos poëtas accusant: qui ut primi teste tota antiquitate philosophi fuerunt, ita primi sapientiæ totius invidiam sustinuerunt. Vetus istæc est calumnia. Septem illa magna nomina Græcorū audivistis, Thalem, Biantem, Chilonem cum reliquis: hos cum nondum alii philosophos dicerent, ho-

mines

mines indocti per ludibrium poëtas dicebant. Omnes enim more usitato veteribus, quæ solertissime invenerant, suavitate numerorum condiebant. Eadem opinionum labes nostros quoque homines afflavit. Si quis unum hodie epigramma scribat, toto vitæ tempore hoc luendum est: nihil hoc excepto posse aut didicisse putatur. De scientia & eruditione tota in periculum venit, cui hoc feliciter successerit. Adeo grave & immane crimen est, similem iis esse velle quos poëtarum adversarii admirantur. Et tamen, ut vobiscum agam, ô censores nostri, puto Solonem quendam virum prudentissimum fuisse scitis, & Athenæ hoc clamant: unum librum aliquem evoluite, statim ejus vobis carmina occurrent. Pythagoram gravissimæ familiæ autorem fuisse non ignoratis: aurea illius carmina videtis. Marcum illum Tullium Romanæ eloquētiæ fontem, patrem patriæ fuisse dictum, aliquando legistis: Aratea ejus nondum perierunt. Socratem, Platonem, Aristotelem opponam vobis si pergitis, quos eodē omnes modo peccavisse accepimus. Quam velletis nulla literarum superesse monumenta, ut poëtas homines ineptos,

ptos, optimarum artium peritos, Grammaticos vocare impune possetis. Atqui, viri ornatissimi, liceat per vos scire aliquid, quod vos semper ignorabitis: & si tam ignari hactenus vixistis, ut philosophorum aliud quam poëtarum institutum olim fuisse credatis, non poëtam sed philosophum audite. Quid est ergo poësis? *Philosophia*, inquiunt Platonici, *tempore antiqua, compositione numerosa, sensu vero fabulosa.* Quid philosophia? *Poësis tempore recentior, compositione expeditior, sensu planior.* Sapientiam utranque vocant, alteram recentem, quæ ne vobis quidem displicet, alteram antiquam, quam vos nunquam didicistis. Dio ille qui suavitate quadam singulari & amoenitate linguæ, nomen oris aurei est consecutus, cum nonnullos è philosophorum turba dici Socraticos, audisset, Socratem, inquit, ipsum cur vos nõ Homericum vocatis? Nam ut reliquos ad Socratem, ita hunc cum reliquis referri ad Homerum oportere. Hæc si vobis nunquam præceptores persuaserunt vestri, miseros nos atque infelices, qui tam graves imperitiæ vestræ poenas persolvimus: sin dissimulatis, improbi & nihili estis. Nos vero qui ubique veri-

tatem

tatem ſine livore ullo aut malignitate ſequimur, qui neque auribus ad audiendam, neque animis ad ſentiendam hanc divinitatem unquam caruimus; quibus tam acceptus ſapientiæ conſpectus eſt, ut in ſordibus, in tenebris, in nocte ipſa ſi occurrat nobis, pronis eam atq; effuſis ulnis cum immenſa quadam incredibilique voluptate amplexuri ſimus, quid agemus, cum hoc cultu, hoc ſententiarum fulmine, & cœleſti pondere verborum, ſeſe infundit nobis? Tota eam mente intimiſque admittemus ſenſibus. Hunc præcipue autorem, cujus totam in nos majeſtatem derivabimus. Nam quemadmodum cinædi, & effœminati homines, ad Ionicos plerunque modos corpus commovere ſolent: tubam bellicumque clangorem, & quæcunque gravius attollunt aut accendunt animum, fortioribus relinquunt, quorum corpori ac ſpiritui ſalus Reip. incumbit: ita nos imbelle poëtarum vulgus, aliis non invidebimus, ad virilem vero & ſublimem hunc concentum, vitæ noſtræ actiones dirigemus & formabimus.

# PRIMAE PYTHIORVM ODAE
## FVSA INTERPRETATIO.

Χρυσέα φόρμιγξ Ἀπόλλωνος, καὶ ἰοπλοκάμων
Σύνδικον Μοισᾶν κτέανον,
Τᾶς ἀκούει μὲν βάσις, ἀγλαΐας ἀρχά·
Πείθονται δ' ἀοιδοὶ σάμασιν,
Ἁγησιχόρων ὁπόταν προοιμίων
Ἀμβολὰς τεύχῃς ἐλελιζομένα.
Καὶ τὸν αἰχματὰν κεραυνὸν σβεννύης
Ἀενάου πυρός· εὕδει δ' ἀνὰ σκάπτῳ Διὸς αἰετὸς, ὠκεῖαν πτέρυγ' ἀμφοτέρωθεν χαλάξαις,
Ἀντιστροφὴ, κῶλ. ιϛ.
Ἀρχὸς οἰωνῶν· κελαινῶπιν δ' ἐπί οἱ νεφέλαν
Ἀγκύλῳ κρατὶ βλεφάρων·
Ἁδὺ κλαΐστρον κατέχευας· ὁ δὲ κνώσσων
Ὑγρὸν νῶτον αἰωρεῖ, τεαῖς
Ῥιπαῖσι κατασχόμενος· καὶ γὰρ βια-

*O aurea ô eximia cithara, quæ Apollinis Musarumq; aptissima maximeque propria es possessio, & quasi patrocinium: cujus vocem pedes omnium sequuntur: cui se chorea voluptatis mater suaviter attemperat: cujus modulationibus ac tonis poëtæ omnes morem quasi gerunt, simul ac præire choris & præludia illa tua multo jucundissima attollere cœpisti. Quorum tanta vis est ac potentia, ut æternum ignem fulminis hebescere ac torpere doceas: reginamque volucrum alis utrinque expassis dormire in sceptro Iovis atque extẽdere se cogas. Tu, inquam, adunco regiæ illius aquilæ rostro nebulam caliginosam, tanquã vinculum omnium ejus sensuum & repagulum objicis. Illa autem somno delinita lentum illud tergum suum in altum attollit, tua unius potentia, quasi sagittis quibusdam percussa. Quid de ipso*

*Mar-*

τὰς Ἄρης, τραχεῖαν ἄνευθε
λιπὼν
Ἐγχέων ἀκμὰν, ἰαίνει καρ-
δίαν
Κώματι· κῆλα δὲ καὶ
Δαιμόνων θέλγει φρένας,
ἀμφί τε Λα-
τοΐδα σοφίᾳ, βαθυκόλ-
πων τε Μοισᾶν.

Ἐπῳδ. κῶλ. ιε.

Ὅσσα δὲ μὴ πεφίληκε
Ζεὺς, ἀτύζονται βοὰν
Πιερίδων ἀΐοντα,
Γᾶν τε καὶ πόντον κατ᾽ ἀμαι-
μάκετον·
Ὅστ᾽ ἐν αἰνᾷ ταρτάρῳ κεῖ-
ται θεῶν πολέμιος,
Τυφὼς ἑκατοντακάρανος,
τόν ποτε
Κιλίκιον θρέψε πολυώ-
νυμον ἄντρον· νῦν γε μὰν
Ταί θ᾽ ὑπὲρ Κύμας ἁλιερ-
κέες ὄχθαι,
Σικελία τ᾽ αὐτοῦ πιέζει
Στέρνα λαχνάεντα. κίων
Δ᾽ οὐρανία συνέχει,
Νιφόεσσ᾽ Αἴτνα πάνετες
Χιόνος ὀξείας τιθήνα.

Στροφὴ β. κωλ. ιϛ.

Τᾶς ἐρεύγονται μὲν ἀπλά-
του πυρὸς ἁγνόταται
Ἐκ μυχῶν παγαί· ποταμοὶ
Δ᾽ ἁμέραισι μὲν προχέον-
τι ῥόον καπνοῦ
Αἴθων᾽· ἀλλ᾽ ἐν ὄρφναισι
πέτρας
Φοίνισσα κυλινδομένα φλὸξ
ἐς βαθεῖ-

*Marte dicam? qui deposita è manibus hasta, voluptati illi animum submittit. Audiant malevoli & profani homines: etiam Deorum mentes musica oblectantur, si præsertim admirãda illa vis sapientiæ accedat, quam Musarum & Apollinis propriam esse omnes fatentur. Quoscunque contra Iupiter non amat, vocem detestantur Musarum, tam in mari quam in terra. Exemplo sit Deorum omnium inimicus ille immanis Typhon, cui centum tribuuntur capita, Typhon inquã ille quem notißimum Ciliciæ antrum eduxisse fertur, cujus nunc Sicilia & vicina Cumæ littora hirsutũ premunt pectus. Ætna vero, quæ cum igne flagret perenni, nives tamen (tanta ejus magnitudo est & vastitas) semper alit, quasi columna quædam immensa illi incumbit. E cujus montis penetralibus inacceßi ignis fontes perpetuo eructantur; tum flammarũ quidam fluvii, ardentẽ fumi vorticem interdiu effundunt. Noctu autem purpurea alte*

 *se ex-*

ἀγ φέρει πόντου πλάκα σὺν πατάγῳ.
Κεῖνο δ' Ἀφαίστοιο κρουνοὺς ἑρπετὸν
Δεινοτάτους ἀναπέμ-
πει· τέρας μὲν θαυμάσιον προσιδέ-
σθαι, θαῦμα δὲ καὶ παρεόν-
των ἀκοῦσαι,

ἀντιστρ. κῶλ. ιϛ.

οἷον Αἴτνας ἐν μελαμφύλ-
λοις δέδεται κορυφαῖς,
καὶ πέδῳ· στρωμνὰ δὲ χαράσ-
σοισ' ἅπαν νῶτον ποτικεκλιμένον κεντεῖ.
Εἴη Ζεῦ, εἴη τιν ἁνδάνειν,
Ὃς τοῦτ' ἐφέπεις ὄρος, εὐκάρποιο γαί-
ας μέτωπον. τοῦ μὲν ἐπωνυμίαν
Κλεινὸς οἰκιστὴρ ἐκύδανε πόλιν
Γείτονα. Πυθιάδος
Δ' ἐν δρόμῳ κᾶρυξ ἀνέειπέ νιν ἀγ-
γέλλων Ἱέρωνος ὑπὲρ
Καλλινίκου

Ἐπῳδ. κῶλ. ιϛ.

Ἅρμασι. ναυσιφορήτοις
Δ' ἀνδράσι πρώτα χάρις

*se extollens flamma petras in profundi maris sinum cum ingenti fremitu evibrat. Jam immane illud monstrum Vulcani, ipse Typhon, qui hic jacet, gurgites horrendos ex ambusto gutture ejaculatur. Ut non modo qui viderunt, sed & qui ex aliis audire solent, satis mirari non possint, quomodo nimirum in umbroso Ætnæ vinctus sit culmine & fundamento. Pars interea cui incumbit tergum ejus pungit vehementer ac vellicat. O Iupiter, qui in monte illo coleris & celebraris, fac ut his admoniti pœnis, te unum colamus: montem dico, Siciliæ totius quasi frontem quandam: cujus celeberrimus hic conditor Hiero urbem cognominem maximo honore affecit. Nuper enim post illustrem hanc quam è publico Pythiorum rettulit certamine victoriam, nomen urbis præco, sicut fieri consuevit, cum ipsius nomine conjunxit: ne non ipsa aliquid ex illa laude consequeretur. Porro sicut nautæ nihil magis optant, quam ut abeuntibus*

primum

*primum ventus contingat secundus, sic enim melius de reditu sperare solent, ita hæc victoria nihil humile aut mediocre de reliqua Hieronis vita promittit. Ego enim video futurum, ut deinceps magis magisque urbs illa maximi causa principis emergat. Videre videor jam illud tempus, cum in omnibus ubique epulis, fidibus & voce celebretur. O Apollo, tu qui Lyciæ ac Delo imperas, qui Parnasso præes, & Castaliæ montis hujus fonti, utinam effecta hæc reddas, & hanc urbem habitari à pluribus facias. Neque quisquam miretur, quod ad Deos toties confugiam. A Diis à Diis, inquam, solis omnia humanæ virtutis instrumenta, sive sapientiam ac fortitudinem, sive eloquentiam dicas, sunt expectanda. Ego vero me existimo, cũ in cõmendatione Hieronis versor & laude, minime facturũ esse quod nõnulli sagittarii solent, ut à scopo meo penitus aberrem. Verum cõtra omnes adversarios meos & æquales longe prætergressurũ esse.*

ἐς πλόον ἀρχομένοις, πομπαῖον ἐλθεῖν οὖρον. ἐοικότα γὰρ
κἂν τελευτᾷ φερτέρου νόστου τυχεῖν. ὁ δὲ λόγος
ταύταις ἐπὶ συντυχίαις δόξαν φέρει
λοιπὸν ἔσσεσθαι, στεφάνοισιν, ἵπποισί τε κλυτὰν,
καὶ σὺν εὐφώνοις θαλίαις ὀνομαστάν.
Λύκιε καὶ Δάλοιο ἀνάσσων
Φοῖβε, Παρνασσοῦ τε κράναν
Κασταλίαν φιλέων,
Ἐθελήσαις ταῦτα νόῳ
Τιθέμεν εὔανδρόν τε χώραν.

στροφὴ γ΄. κῶλ. ιϐ.

ἐκ θεῶν γὰρ μαχαναὶ πᾶσαι βροτέαις ἀρεταῖς,
καὶ σοφοὶ, καὶ χερσὶ βιαταὶ, περίγλωσσοί τ᾽ ἔφυν·
ἄνδρα δ᾽ ἐγὼ κεῖνον
αἰνῆσαι μενοινῶν, ἔλπομαι
Μὴ χαλκοπάραον ἄκονθ᾽ ὡσείτ᾽ ἀγῶνος βαλεῖν ἔξω παλάμᾳ δονέων,
Μακρὰ δὲ ῥίψαις ἀμεύσασθ᾽ ἀντίους.

Εἰ γὰρ ὁ πᾶς χρόνος ὄλ-
βον μὲν οὕτω καὶ κτεάνων δόσιν εὐ-
θύνοι, καμάτων δ' ἐπίλα-
σιν παράσχοι·

Ἀντιστροφὴ κῶλ. ιβ.

Ἦ κεν ἀμνάσειεν οἵαις
Ἐν πολέμοισι μάχαις
Τλάμονι ψυχᾷ παρέμει-
ν', ἁνίχ' εὑρίσκοντο θεῶν παλάμαις τιμὰν
Οἵαν οὔτις Ἑλλάνων δρέπει,
Πλούτου στεφάνωμ' ἀγέρω-χον. νῦν γε μὰν
Τὰν Φιλοκτήταο δίκαν ἐφέ-πων,
ἐστρατεύθη, σὺν δ' ἀνάγκᾳ μιν φίλον
Καί τις ἐὼν μεγαλά-
νωρ ἔσανεν. φαντὶ δὲ Λαμνό-θεν ἕλ-
κει τειρόμενον, μεταλλάσ-
σοντας ἐλθεῖν

ἐπῳδ. κῶλ. η.

Ἥρωας ἀντιθέους Ποί-
αντος υἱὸν τοξόταν,

*Utinam tam certo felix semper sit & prospera, omnique difficultate & adversa fortuna Hieronis extricetur familia. Neque dubito quin multi sint quotidie, qui illi præclara sua facta ac virtutem ob oculos ponant: præcipue autem quot cruenta prœlia ac aspera, quam graves cum hoste conflictus animo invicto sustinuerit, cum olim una cum Gelone fratre suo tantam consecutus est Deorũ beneficio victoriam, quantam nemo Græcorum, quam eximia omnium bonorum secuta est abundantia. Nuper quoque Philoctetis instar in certamen venit, & cum morbo maximo conflictaretur, nihilo minus blanditiis cum illo experiri hostes maluerunt, potius quam manu. Inter quos illustris quidam & eximiæ potentiæ fuit. Plane quod de Philoctete fama refert. Aiunt enim fortes illos ac magnanimos Græcorum Heroas, cum ad Troiam irent, Philocteten laude sagittandi omnibus satis notum, eo modo accersisse è Lemno. qui præclaram*

*claram urbem Priami devicit, gravibusq; Graecorum laboribus finem imposuit. Non quin ipse corpore infirmo esset, & propter vulnus debili, sed quod expugnari sine illo urbem posse oracula negarent. Eodem modo utinam Hieronem semper dirigat Deus, utinam quaecunque cogitat recte succedere illi in posterum faciat. Si quis autem sit ad quem ejus gloria pertineat, is profecto filius ejus est Dinomeneus: cui hanc quam nunc quadrigis consecutus est victoriam potissimum carmine meo denunciandã video. Nunquam enim alienum filiis gaudium est victoria parentum, cum ad eos potissimum omnis illa spectet gloria, quae è rebus à majoribus praeclare gestis redundat. qua occasione aliqua quoque pars laudum in hoc hymno Aetnae regi, filio Hieronis, tribuenda erit. Cujus potissimum in gratiam, illam de qua loquor civitatem ita restauravit Hiero, ut & leges illi suas, & qua fruebatur ante, libertatem Doricam cõcesserit. Dores quippe illi,*

Ὃς Πριάμοιο πόλιν πέρσεν, τελεύτασέν τε πόνους Δαναοῖς,
Ἀσθενεῖ μὲν χρωτὶ βαίνων,
Ἀλλὰ μοιρίδιον ἦν.
Οὕτω δ' Ἱέρωνι θεὸς ὀρθωτὴρ πέλοι,
Τὸν προσέρποντα χρόνον, ὧν
Ἔραται καιρὸν διδούς.
Μοῖσα καὶ πὰρ Δεινομένει κελαδῆσαι
πιθεῦ μοι ποινὰν τεθρίππων.
Χάρμα δ' οὐκ ἀλλότριον νικαφορία πατέρος.
Ἄγ' ἔπειτ' Αἴτνας βασιλεῖ
φίλιον ἐξεύρωμεν ὕμνον·
Στροφὴ δ. κῶλ. ιϛ.
Τῷ πόλιν κείναν θεοδμάτῳ σὺν ἐλευθερίᾳ,
Ὑλλίδος στάθμας Ἱέρων
Ἐν νόμοις ἔκτισσε. θέλοντι δὲ Παμφύλου
Καὶ μὰν Ἡρακλειδᾶν ἔκγονοι,
Ὄχθαις ὕπο Ταϋγέτου ναίοντες, αἰεὶ μένειν τεθμοῖσιν ἐν Αἰγιμίου

*pe illi, qui ad montem jam olim habitant Taygeta, qui à Pamphilo & Heraclidis oriundi putantur, in Ægimii primi fundatoris ac parentis sui instiutis permanere volunt. Sunt autem illi qui profecti à Pindo, postea Peloponnesum invaserunt, ubi celeberrimi Castorum vicini esse cœperunt, qui virtute bellica magnũ consecuti sunt nomen. Concede ergo hoc novo illi populo, ô Jupiter, ut existimationem illã suæ virtutis ac famam, quam jam apud omnes sunt cõsecuti, diligenter tueantur. Tua certe unius opera rex Hiero, qui non Siciliæ modo sed & filio imperat suo, ejusque actiones omnes ad virtutis normam dirigit ac flectit, pristina illa erga cives humanitate, dum immunitates illis suas concedit neque quicquam de avita libertate detrahit eorum, placidam & tranquillam illis securitatem inducit. Effice & illud, ô Jupiter, ut Phœnices ac Tyrii, maximi & potentes Siculorum hostes, domi se contineant, deque clade illa multum*

Δωριῆς. ἔχον δ' Ἀμύκλας
ὄλβιοι
Πινδόθεν ὀρνύμενοι,
Λευκοπώλων Τυνδαρειδᾶν
βαθύδο-
ξοι γείτονες, ὧν κλέος ἄν-
θησεν αἰχμᾶς,

Ἀντιστροφὴ κῶλ. ιϛ.

Ζεῦ τέλει' αἰεὶ δὲ τοιαύ-
ταν, Ἀμένα παρ' ὕδωρ,
Αἶσαν ἀστοῖς καὶ βασιλεῦ-
σι, διακρίνειν ἔτυμον λόγον
ἀνθρώπων.
Σύν τοι τίν κεν ἁγητὴρ ἀνήρ,
Υἱῷ τ' ἐπιτελλόμενος δᾶ-
μόν τε γε-
ραίρων, τράποι σύμφωνον
ἐφ' ἡσυχίαν.
Λίσσομαι, νεῦσον Κρονίων,
ἅμερον
Ὄφρα κατ' οἶκον ὁ Φοί-
νιξ, ὁ Τυρσανῶν τ' ἀλαλα-
τὸς ἔχῃ
Ναυσίστονον ὕβριν ἰδὼν
Τὰν πρὸ Κύμας,

Ἐπῳδ. κῶλ. ι.

*multũ ac diu cogitent, quæ ad Cumam illis ab Hierone ejusque navibus illata est. Cum eorum florem delevit, Græciamque è magna servitute liberavit. Duæ sunt eximiæ victoriæ, quæ in omnibus Græcorũ annalibus celebrantur. Salaminii enim celeberrimæ & quæ ubique jam est decantata, præmium Atheniensibus debent: hoc ab illis exigendũ est. Apud Lacedæmonios autem illa præcipue est cõmemoranda, quam ad Citheronem fortiter pugnando obtinuerunt, cum de Medis, qui sagittando omnes antecellunt, maximũ honorem reportarunt. Illis duabus tertia addatur. Apud Himeram enim fluviũ Siciliæ notißimũ una semper celebrata est, quã Polybulus, Gelo, Thrasybulus & Hiero, filii Dinomenis, magna animi ac corporis vi sunt cõsecuti: cũ immanem hostiũ stragem dederunt. Cæterum tempus est, ut orationis meæ vela cõtraham: nihil enim est, quod invidiam malevolorũ ac livorem fortius retũdat, quã si aliquis occasione oblata,*

Οἷα Συρακοσίων ἀρ-
χῷ δαμασθέντες πάθον
Ὠκυπόρων ἀπὸ ναῶν.
Ὅς σφιν ἐν πόντῳ βάλεθ' ἁλικίαν.
Ἑλλάδ' ἐξέλκων βαρείας
Δουλείας. ἀρέομαι
Παρ μὲν Σαλαμῖνος Ἀθηναίων χάριν
Μισθόν· ἐν Σπάρτᾳ δ' ἐρέω ταν
Πρὸ Κιθαιρῶνος μάχαν,
Ταῖσι Μήδειοι κάμον ἀγκυλότοξοι.
Παρ δὲ τὰν εὔυδρον ἀκτὰν
Ἱμέρα, παίδεσσιν ὕμνον
Δεινομένεος τελέσαις
Τὸν ἐδέξαντ' ἀμφ' ἀρετᾷ,
Πολεμίων ἀνδρῶν καμόντων.

Στροφὴ ε', κῶλ. ιϛ.

Καιρὸν εἰ φθέγξαιο, πολλῶν
Πείρατα συντανύσαις
Ἐν βραχεῖ, μείων ἕπεται

 *plu-*

plurimas res breviter succincteq; proponat. Verborũ quippe satietas hebescere hominũ animos, ac languere cogit. Tum plerunq; infimæ cõditionis homines, non sine maximo dolore præstantium virorũ virtutes, ac secundæ fortunæ cõmoda, audire solent. Cave propterea tamẽ, maxime ac fortissime regum, tuæ virtutis te pœniteat. Cave aliquid de eximia illa animi magnitudine remittas, cave hominũ malevolẽtiæ cedas. Invideri enim quã commiserari præstat. Quare primo omniũ juste populũ rege: secundo veritatis semper rationem habe. Ea omnibus ubiq; actionibus tuis præluceat, ubique emineat. Si enim aliquid modo excidat tibi, quod à vero alienũ videtur, majus id esse omnes arbitrãtur. Rex enim es multorũ, nec latere potes. Multi testes te quotidie circumstãt, qui à vero falsũ possunt distinguere. Postremo, si nominis tui gloria ac existimatione, quæ tua tibi vita carior esse debet, tangi ac moveri potes, noli sumptibus defatigari. Scito pro-

Μῶμος ἀνθρώπων. ἀπὸ γὰρ κόρος ἀμβλύνει

Αἰνὺς ταχείας ἀπάδις.

Ἀστῶν δ᾽ ἀκοὰ κρύφιον θυμὸν βαρύ-

νει μάλιστ᾽ ἐσλοῖσιν ἐπ᾽ ἀλλοτρίοις.

Ἀλλ᾽ ὅμως (κρέσσων γὰρ οἰκτιρμῶν φθόνος)

Μὴ παρίει καλά· νώ-

μα δικαίῳ πηδαλίῳ στρατόν. ἀ-

ψευδεῖ δὲ πρὸς ἄκμονι χάλ-

κευε γλῶσσαν·

Ἀντιστρ. κῶλ. ιϛ.

Εἴ τι καὶ φλαῦρον παραιθύσσει, μέγα τοι φέρεται

Πὰρ σέθεν. πολλῶν ταμίας

Ἐσσί· πολλοὶ μάρτυρες ἀμφοτέροις πιστοί.

Εὐανθεῖ δ᾽ ἐν ὀργᾷ παρμένων,

Εἴπερ τι φιλεῖς ἀκοὰν ἁδεῖαν αἰ-

εὶ κλύειν, μὴ κάμνε λίαν δαπάναις·

Ἐξίει δ᾽, ὥς τε κυβερνάτας ἀνήρ,

Ἱστίον ἀνεμόεν.

Μὴ δολωθῇς φίλε κέρδεσιν εὐτρα-

*to propriam principibus virtutẽ liberalitatem esse. Idem ergo age, quod gubernatores solent navium, velum tuum ventis quantum potes expande. Cave miseræ pecuniæ magnũ istum animũ submittas. Semper de futuro tempore & judiciis hominũ cogita. Ea tibi semper propone. Fama quippe vitã mortuorum extẽdit: si præsertim à poëtis atq; oratoribus celebrentur. Nunquã Crœsi maximæ virtutes, sed præsertim liberalitas silebitur. Sævũ autem contra & crudelem Phalarin, qui subjectis æreo tauro ignibus, miseros mortales cruciasse fertur, fama longe alia comitatur. Nunquam ille in clarorum hominum conventibus puerorum celebrari citharis solet. Porro prospera fortuna uti, primum in hoc vitæ certamine est præmium: bene autem audire proxima est, felicitas. Vtrunque vero cui evênit, supremam jam coronam consecutus est.*

φίλοις. ὀπιθόμβροτον αὔ-
χημα δόξας,
Ἐπῳδ. κῶλ. ιγ.
Οἷον ἀποιχομένων ἀν-
δρῶν δίαιταν μανύει
Καὶ λογίοις καὶ ἀοιδοῖς.
Οὐ φθίνει Κροίσου φιλόφρων
ἀρετά·
Τὸν δὲ ταύρῳ χαλκέῳ καυ-
τῆρα νηλέα νόον,
Ἐχθρὰ Φάλαριν κατέχει
παντᾷ φάτις·
Οὐδέ μιν φόρμιγγες ὑπω-
ρόφιαι κοινωνίαν
μαλθακὰν παίδων ὀάροισι
δέχονται.
Τὸ δὲ παθεῖν εὖ, πρῶτον
ἄεθλον·
Εὖ δ᾽ ἀκούειν, δευτέρα μοῖ-
ρ᾽· ἀμφοτέροισι δ᾽ ἀνὴρ
Ὃς ἂν ἐγκύρσῃ καὶ ἕλῃ,
Στέφανον ὕψιστον δέδεκται.

# NOTÆ QVÆDAM AD SVPERIOREM Oden: ex quibus ratio quoque interpretationis apparet.

TΑς ἀκτὶς μὲν βάσις] βάσις neque est ῥυθμὸς, quod interpres Græcus putat, neque ἡ τῶν χορδῶν κροῦσις, sed vero ἡ εὔρυθμος τῶν ποδῶν ἐν τῷ πρὸς τὴν φόρμιγγα χορεύειν κίνησις. aptus pedum in tripudiando ad citharam motus. Plane ea ratione Plato βαίνειν & ἐμβαίνειν πρὸς τὴν ᾠδὴν dixit, Alcibiade I. Ἀλλὰ μὴν καὶ ᾄδοντα δεῖ κιθαρίζειν ποτὲ πρὸς τὴν ᾠδὴν καὶ βαίνειν. item paulo post. ἐπὶ πρῶτον τίς ἡ τέχνη, ἧς τὸ κιθαρίζειν καὶ τὸ ᾄδειν καὶ τὸ ἐμβαίνειν ὀρθῶς. Σὺν δ' ἀνάγκᾳ] Neque vocem neq; loquendi genus satis assecutus est interpres. Σὺν ἀνάγκᾳ, est, νοσοῦντι ἢ ἐν νόσῳ ὄντι. σὺν enim & ἐν Dores cōfundunt, quod in Pindaro millies occurrit. Iam ἀνάγκα Doribus peculiariter crudelitatem rei designat, & dolorem morbi. Quod ad illud Theocriti notavimus, ἦθος ἀνάγκας, de crudeli homine & torvo: quod & Horat. expressit de fortuna,

*Te semper anteit sæva necessitas.*

Significat enim sævam fortunam, duram & inexorabilem esse. Vnde & ἀναγκαῖον, δεσμωτήριον, i.e. carcer, à Grãmatico antiquo exponitur. ἀνάγκα ergo hoc loco τὴν ἀσθένειαν Hieronis significat, cui morbo valde obnoxium fuisse, scholiastes notat. Ad interpretationem tamen veram alludere obiter videtur cum ait, βούλεται δὲ λέγειν ὅτι καὶ νοσοῦντα αὐτὸν πολλοὶ τῶν ὑπερηφάνων ἐκολάκευσαν. quamvis hoc de sensu potius, quã de loquendi ratione, quam non expressit, dictum videatur.

Οἷα Συρακοσίων ἀρχῷ δαμασθέντες πάθον Ὠκυπόρων ἀπὸ ναῶν. Ὅς σφὶν &c.] ut consistat hæc distinctio, scribendum erit, Οἷα Συρακοσίων ἀρχῷ δαμασθέντες πάθον Ὠκυπόρων ὑπὸ ναῶν. nimirum, οἷα πάθον δαμασθέντες ὑπὸ ὠκυπόρων ναῶν Συρακοσίων ἀρχῷ, id est, ἀρχῷ lingua Pindari. Sed non male interpres Græcus hoc modo distinguit, ὠκυπόρων ἀπὸ ναῶν Ὅς σφὶν ἐν πόντῳ βάλεθ' ἁλικίαν.

Αἰρέομαι παρ' μὲν Σαλαμῖνος Ἀθαναίων χάριν] Nullo in loco ita se interpres Græcus torsit quam in isto, quem tamen non est assecutus. Cave enim credas αἰρεῦμαι hoc loco esse ἐπιδέχομαι, quod ille existimat, sed contra αἰρεῦμαι μισθὸν, est quod Attici dicunt ἐκπράττειν μισθὸν. i.e. exigere mercedem. Iam Ἀθαναίων χάριν, nō appositive dicitur, quod idem interpres existimat, sed Ἀθαναίων χάριν, est, ὑπὲρ τῶν Ἀθηναίων, nomine Atheniēsium. Nam cū de tribus maximis agit victoriis, recte primo eam loco ponit, quæ celeberrima omnium erat, cum Themistoclis cōsilio Græcia ad Salaminem est servata, & disjectæ Barbarorum naves. Sensus est. *Ego quidem à Salamine, nomine Atheniēsium premiū victoria petã, quod illis debetur.* quasi diceret Poeta, *Salaminia certe victoria premium solis Atheniensibus debetur; neq; aliis Salamis acceptū ferre hoc debet, quod cum tota Græcia servata est.* Hinc Themistocles lib. Ep. 111. tit. εἰς ἀνδριάντας petit inter alia Salaminem tumulo suo insculpi.

Ἀντὶ τάφου λιτοῖο θὲς Ἑλλάδα, θὲς δ' ἐπὶ ταύτῃ
Δούρατα, βαρβαρικᾶς σύμβολα ναυφθορίας.
Καὶ τύμβου κρηπῖδι θέε γραφε Περσικὸν Ἄρη,
Καὶ Ξέρξην, τούτοις θάπτε Θεμιστοκλέα.

Στήλα

Στάλα δ' ἁ Σαλαμὶς ἐπικείσεται, ἔργα
λέγουσα
Τἀμά. τί με σμικρῇς τὸν μέγαν ἐντίθετε;

id est,

*Pro tumulo vili stet Gracia, lignaque fracta*
*Barbarici testes addite naufragii.*
*Inq; sepulchrali stent margine Persica bella*
*Et Xerxes: istis claude Themistoclea.*
*At Salamis stet pro cippo, & mea facta*
*loquatur.*
*Cur parvo jaceam conditus in tumulo?*

Παίδεσσιν ὕμνον Δεινομένεος τελέσαις· τὸν ἐδέξαντο ἀμφὶ ἀρετᾷ] Omnino lege τελέσω, ut respondeat illi ἐρέω. nam ut ἀπὸ κοινοῦ aliquid intelligatur durũ est, neque procedit quod volunt: nullius enim carminis hic poëta meminit, quã in quo versatur. Sed hoc ab imperitis est mutatum, qui non intelligebant, quomodo sumendum esset quod sequeretur, τὸν ἐδέξαντο, & retulerũt hoc ad carmen nescio quod Pindari, quod in laudem quatuor fratrum scripsisse cum volunt, cum apud Himeram victoriam obtinuerunt. Atqui fefellit eos manifeste vox ὕμνος, quæ Pindaro designat nõ carmen aliquod, sed simpliciter, τιμὴν, ἢ ἔπαινον, *gloriam*, sive *laudem*: nõ autem dicit, se dedisse illis carmen aliquod quod à se causa virtutis accepissẽt, sed se velle illis laudem persolvere, & honorem quem cõsecuti sive meriti erant, cum victoriam illam obtinerent. *Ego*, inquit, *honorem filiis Dinomenis persolvam, quem consecuti sunt virtutis suæ causa.* hoc sibi vult illud ἐδέξαντο. Ita omnes ineptiæ jacẽt. Sic ὕμνος pro laude & encomio, Pyth. Ode 4.

Ὕμνος δὲ τῶν ἀγαθῶν
Ἐργμάτων, βασιλεῦσιν ἰ-
σοδαίμονα τεύχει
φῶτα.

Et ὑμνεῖν non est canere sed celebrare, unde celebrem & gloriosum Od. Pyt. IX. ὑμνητὸν vocavit.

# ΕΙΣ ΤΟ ΠΕΡΙ ΚΟΣΜΟΥ
## βιβλίον.

Ἄτλαντι μεγάλῳ κρατεροὺς βεβαρημένῳ ὤμους
Ἀμπαύειν καμάτου ἔπαλε Πιερίδες.
Κόσμος ὅτι προχέουσι σὺν οὐρανῷ, ἀμφὶς ἐόντι,
Ἄστρα τε καὶ ὀλίγῃ χειρὶ περιστρέφεται.

# PRAEFATIO IN LIBRVM

## *De Mundo: & de autore dissertatio.*

ANimum humanum, Auditores Ornatissimi, vitæ nostræ ducem ac rectorem in excelso loco rerum natura posuit: ut invitus quoque, opus immẽsum, inexhaustum, varium, quod idcirco universum vocatur, intueri cogeretur. Quo mihi admirari magis rationem eorum lubet, qui cum undique includantur hoc theatro, ipsi tamen se subducunt, & industriæ parentis suæ, tanquam fugitivi, elabuntur. Mentem vero, quæ tam magnis destinata rebus fuerat, curis partim levioribus, partim etiam pudendis, occupatam atque intentam tenent. Sunt qui sine sensu ullo omnem ætatem trãsigunt: qui cum causas vitæ nunquam intellexerint, ocio ipsi suo misere torquentur, & quod recte antiquus poeta dixit, *præter propter vitam*, non in ipsa vivunt. Putes per præconem publicum denunciandum illis esse: Infra terram esse quandam, quæ tot herbas, tot fruges, tot

stirpes,

ſtirpes, tot animalia educit: cujus ſive ſpectes benignitatem; admirari ſatis non poſſis. Sive occultas abditaſque cauſas; nemo omnes hactenus invenit. Supra vero ſolem, qui quotidie è cœlo, tanquam arce quadam ſplendida & illuſtri, ſignum omnibus ſuſtollit: cujus lumen Luna excipit, quæ formoſis comitata ſideribus, oculos aſpectu, mentem vero cõtemplatione ſui varie oblectat. Per hos gradus altius perveniẽdum eſt. Poſtquam enim locum illum evaſeris unde venti oriuntur & nubes, unde nives grandineſque in terram feruntur, unde fulmina & tonitrua terribili fragore mentem humanam percellunt, ubi Irides colore, capreæ ſaltu, areæ ſplendore ſuo, omnia mutari poſſe docẽt, quæ ſupremam cœli partem non attingunt, quicquid ſupra invenitur, purum & corruptionis eſt immune. Illic demum quintam Ariſtotelis eſſentiam invenies, optimum & puriſſimum elementum, ibi immortalem illam ſedem:

*Quam non fuſcat hyems, quæ nullo tingitur imbri.*

Ibi Deum, proximaſque Deo beatorum animas, aut ut meliùs loquamur, aliquanto altius ſapientes collocarunt. Quantũ mentem noſtram

ſtram exultare exiſtimandum eſt, cum de corpore triumphat, & emancipata hac contagione, terram infra ſe contemnit. Cum ſublimis & excelſa, ipſa ſibi occurrit, & originem naturæ ſuæ, quam tam prope invenire non poterat, illic primum eſſe videt, ubi finem contemplandi Deus & natura poſuerunt. Ibi penitus in ſe converſa, quicquid homines mirantur, muneri intenta ſuo, oblivisci gaudet. Putatisne animam tam alte poſitam, opibus cujuſquam inhiare? Ne videre quidem poteſt. Infinitis illa ſpatiis diſcreta ſunt. Libera & vicina Deo, orbem omnem pervagatur, & cœleſtibus affixa globis, motum quoque illorum imitari diſcit. Currit cum ſole, circumfertur cum Luna, cum planetis errat, hęret cum fixis. Minimũ quod videt, ipſa terra eſt: quæ Oceano diſtincta & diviſa, parva ſui parte habitatur. Quicquid magnum eſt in ea, ſolitudo tenet. Si ad homines reſpexerit, ſortis illam ſuæ pudebit. Pudet me quoque, & dicendum eſt tamen. Omne illud in quo avaritia regnat & ambitio: in quo opes alius petit, alius invadit: alius honores ambit, alius conſequitur: in quo metus, cavillatio, arrogantia locum habet &

ferocitas: in quo tanta reges moliuntur & tyranni, nævus ab autore libri hujus appellatur. In quo nihil magnũ invenitur aut excelſum, præter unum ſapientis animũ: qui humanam ſortem aut irridet aut cõtemnit. Scit hoc omne quod Romani vicerunt, nævum eſſe aut maculam: & quod tantis viribus ſubegit Alexander, ſi intuearis cœlum, vix quærendo inveniri poſſe.

*O vanas hominum curas! ô pectora cæca!*
*Qualibus in tenebris vitæ, quantiſque periclis*
*Degitur hoc ævi quodcunque eſt!*

Omne hoc ſpatium, cui tanta nomina imponitis, quod Europam, Aſiam, Africam dixiſtis, in quo miſere erratis, ut miſerius vivatis, in quo navigatis, itis, feſtinatis, curritis, in quo annos decem circulator ille Homericus, jactatus eſt, ſi cum toto conferatur, vix unius horę iter eſt. Hoc qui recte intellexit, nunquã mortem timebit: nunquam in anguſtias has totum ſe dabit, qui tam magna ſui parte terram exceſſit. Dicam vobis Socrates quid fecerit: Iuvenem opulentum ac ferocis animi Alcibiadem Athenis docebat, qui cum aliquot agrorum cauſa, quos ibidem poſſidebat, felix ſibi vide-

videretur, Socrates adferri tabulam curavit, in qua orbis universus non ineleganter descriptus esset: quęrere ex Alcibiade cœpit, ubi Attica esset; quam cum aliquot vix atomis majorem ibi invenisset, petiit ut agros suos demonstraret: erubuit adolescens, ac propemodum lachrimas emisit. Ita insolentem ejus fregit animum, & ad majora deduxit. Tabulam Socraticæ illi similem videtis, quam si diligenter evolueritis, non tam rerum humanarũ scientiam, quas ordine describit, quam contemptũ discetis. Postquam enim cœlum, igneosque illos orbes, quorum nullus fere est qui non terram parte sui altera excedat, & autorẽ Deum, qui hæc flectit, voluit, & conservat, luculenter admodum & multis depictum videbitis, in angusto quodam universi hujus angulo orbem habitabilem invenietis, cujus situm aliud agendo leviter percurrit. Qui tam parva semper cogitare potest, postquam tam immensa intellexit, plane est indignus, qui in cœlum unquam oculos attollat. Nunc ad alia pergamus.

## *De autore libelli De Mundo.*

OMnium controversiarum est gravissima de libelli hujus autore, quem præclari quidã nostræ ætatis viri Aristoteli asscripserunt. A quibus quia abeundũ nobis videmus, solabitur nos illud viri divini lib. Nicomachiorum 1. cap. VI. ubi cõtra Platonicas disputaturus Ideas, molestissimũ sibi esse illud testatur, quod ab amicis dissentire cogatur. addit tamen. δόξει δ' ἂν ἴσως βέλτιον εἶναι, καὶ δεῖν ἐπὶ σωτηρίᾳ γε τῆς ἀληθείας καὶ τὰ οἰκεῖα ἀναιρεῖν, ἄλλως τε καὶ φιλοσόφους ὄντας. ἀμφοῖν γὰρ ὄντοιν φίλοιν, ὅσιον προτιμᾶν τὴν ἀλήθειαν. Idem nos dicemus, & amicis salva veritate reliqua concedemus. Primo autẽ aliorũ argumenta proponemus ac refutabimus: deinde & nostra. Vtriusq; autẽ finis erit veritas.

Primum & præcipuum est eorum, qui Iustini philosophi & martyris testimonio nituntur, cujus verba in cohortatione ad Græcos hæc leguntur. Hoc enim ferreum argumentum, & ut cum Hippocrate in lib. De natura humana loquar, ἀνάγκας ἀποφαίνοντα λόγον, quidam Theologus existimavit. Ἀριστοτέλης δὲ ἐν τῷ Πρὸς Ἀλέξανδρον τὸν Μακεδόνα λόγῳ, σύντομόν τινα τῆς ἑαυτοῦ φιλοσοφίας ἐκτιθέμενος ὅρον, σαφῶς καὶ φανερῶς τὴν Πλάτωνος ἀναιρεῖ δόξαν, οὐκ ἐν τῇ πυρώδει οὐσίᾳ τὸν θεὸν εἶναι λέγων, ἀλλὰ πέμπτον αἰθέριόν τι καὶ ἀμετάβλητον ἀναπλάττων σῶμα, ἐν τούτῳ αὐτὸν εἶναί φησι. i. c. *Aristoteles autem in eo quem ad Alexandrum Macedonem scripsit libro, brevem quandam philosophiæ suæ delineationem proponit: ubi manifeste quoque ac perspicue Platonis*

*tonis tollit ſententiam: neque enim in ignea ſubſtantia vult eſſe Deum, ſed vero quintum aliquod æthereum atque immutabile conſtituit corpus, in quo eum ponit.*

Locus alter mox ſequetur, nunc hunc videamus. Ait ergo primo omniū Ariſtotelem philoſophiæ ſuæ in libello illo brevem delineationem propoſuiſſe. Atqui tantum abeſt, ut hoc ſcripto huic conveniat, ut ne quidem id inſcriptio admittat. Sive enim vera ea ſit & legitima, nihil minus quam compendiū philoſophiæ promittit: ſive ſit falſa, ut mox eſſe oſtendemus, nulla tamen dari operi convenientior poteſt, quæ tam magnum aliquid promittat: cum res ipſæ hoc nō ſinant. Vbi enim hic eſt celeberrima & πολυθρύλλητος illa Logica, in qua præcipuum Ariſtotelis inventum eſt demonſtrandi ratio? Vbi denique totum illud quod πρακτικὸν vocant? Contra vero cum nihil hic ſit, niſi quod ad contemplativam refertur, hujus quoq; partem illam ſtrictim tangit, quam Ariſtoteles abſolvit, eam autem quam vix tangit Ariſtoteles, fuſe eſt perſecutus. Nam cum univerſum hoc & quicquid exiſtit, duo comprehendat, ea quæ ἐγκόσμια & quæ ὑπερκόσμια dicuntur, veteres poſteriora abſolviſſe Ariſtotelem, in prioribus vix quicquam ſcripſiſſe fatentur. Ita ut non defuerint, qui ne quidem illa percepiſſe eum putarent. Huc Ammonii illud ſpectat ad Categorias: οὐ γὰρ τὰ ἐγκόσμια μόνα ᾔδει, ὥς τινες ὑπολαμβάνουσιν, ἀλλὰ καὶ τὰ ὑπερκόσμια. i. e. *Neque enim ſolum ea quæ in mundo ſunt, ſed & ea quæ ſunt ſupra illū norat.* Illud

autem ut probare posset, quia aliud videbat nihil, Deũ immortalem, quam jejuno usus argumento est. Addit enim rei Theologicæ peritũ fuisse vel ex eo posse ostendi, quod in octavo lib. Nat. Auscult. *primam* docet. *causam, neque per se, neque per accidens mobilem esse.* Ergo aut omnino stipes, lapis, plumbum Ammonius fuit, qui hoc argumento est usus, cum in hoc libello ea De Divinitate & Deo, de potẽtia ejus, vi, providentia, omnipotentia, & ut ita dicam, omnipræsentia mediata dicantur, quæ non sine maximo stupore, admiratione, horrore, ipsi Christiani legunt: aut libellum, quod dicebam, eum, nemo tempore illo, viro maximo asscripsit. Quid quod duas causas adfert Philoponus, cur in naturali contemplatione Aristoteles hæserit, mathematica autem & theologica vix attigerit: primo, quia naturalis contemplatio σύστοιχός ἐστι μᾶλλον τῇ φύσει τῇ ἡμετέρᾳ. i.e. *magis cum natura nostra est cõiuncta.* Secundo, ὅτι τὸ μὲν θεολογικὸν καὶ μαθηματικὸν παρὰ πολλοῖς λίαν καὶ πρὸ Ἀριστοτέλους ἐξειργασμένα, τὸ δὲ φυσικὸν οὐχ οὕτως. *quia theologica & mathematica à multis ante Aristotelem exculta erant, naturalis autem pars non item.* Quomodo ergo Alexandro suæ hic philosophiæ compendiũ proponit? quod non est docere, sed repetere. Adde quod nihil hæc cõsideratio ad Alexandrum, aut omnino minus, quam quæ πρακτικὴ vocatur. Cur non iis potius de rebus aliquid scripsit, quæ vel in quinto Politicorum tractãtur, ubi Rerumpublicarum mutationes, & conserva-

tiones

tiones proponuntur: aut quæ in ſeptimo, ubi de optimo ſtatu agit, aut in octavo, ubi de liberorum educatione multa dixit. Cur non aliquid de regno ad regem tantum? Quod profecto fecit. Scripſit enim lib. De regno ad Alexandrum. Ecce Ammonii verba. τῷ δὲ Ἀλεξάνδρῳ καὶ Περὶ βασιλείας ἔγραψεν ἐν ἑνὶ μόνῳ βιβλίῳ, παιδεύων αὐτὸν ὅπως δεῖ βασιλεύειν. i. e. *Scripſit & ad Alexandrum De regno, unico volumine, in quo rationem regnandi illum docet.* Huc reſpexit Plutarchus De Alexandri fortuna aut virtute. Ἀλέξανδρος δὲ τῷ λόγῳ τὸ ἔργον παρέχεν. οὐ γὰρ ὡς Ἀριστοτέλης συνεβούλευεν αὐτῷ, τοῖς μὲν Ἕλλησιν ἡγεμονικῶς, τοῖς δὲ βαρβάροις δεσποτικῶς χρώμενον. i.e. *Alexander autem re ipſa doctrinam eam expreſſit. Neque enim ſicut Ariſtoteles ſuadebat, qui quidem Græcos regie, barbaros vero heriliter tractare eum iubebat.* Alterius vero ad Alexandrum libri, nec Ammonius nec Laërtius in prolixo illo indice meminit. Apud quem De coloniis librum invenio, qui Alexandro inſcriptus erat.

Sequitur in Iuſtino. *Vbi manifeſte quoq; ac perſpicue Platonis tollit ſententiam: neque enim in ignea vult Deum eſſe eſſentia, ſed vero quintum aliquod æthereum,* &c. Vbi vero in hoc ſcripto manifeſte & expreſſe tollitur ſententia Platonis, cum directis verbis in eſſentia quinta Deum ſtatuit? Etenim capite quidem ſecundo, quinta eſſentia ſtatuitur, ſed ut mox audiemus ſine ulla reprehenſione Platonis, quod putarunt tamen docti viri: in ſexto autem Deo

locus

locus tribuitur, verum in suprema cœli parte.

Sed jam reliqua audiamus, ipsa enim verba adducit Iustinus. γέγραφε γοῦν οὕτως, Οὐχ' ὡς ἔνιοι τῶν περὶ τὸ θεῖον πλημμελούντων, ἐν τῇ πυρώδει οὐσίᾳ τὸν θεὸν εἶναι φασίν. & paulo post, γέγραφε γὰρ οὕτω γοῦν· καὶ Ὅμηρος λέγει, Ζεὺς δ' ἔλαχ' οὐρανὸν εὐρὺν ἐν αἰθέρι καὶ νεφέλῃσι. Ante omnia illud notādum est, hujus scripti autorem non modo opiniones interdum sequi Aristotelis, ut de essentia quinta (quanvis ne quidem Plato, sicut infra ostendemus, multo aliter de ea est loquutus) sed & sæpe verba imitari & exprimere. Vt cum Aristoteles, exempli causa, lib 2. De cœlo, cap. 1. dixisset de Deo, διόπερ καλῶς ἔχει συμπείθειν ἑαυτὸν, τοὺς ἀρχαίους καὶ μάλιστα τοὺς πατρίους ἡμῶν ἀληθεῖς εἶναι λόγους, ὡς ἔστιν ἀθάνατόν τι καὶ θεῖον, τῶν ἐχόντων μὲν κίνησιν, ἐχόντων μὲν τοιαύτην ὥστε μηδὲν εἶναι πέρας αὐτῆς, hic dixit, ἀρχαῖος μὲν οὖν τις λόγος καὶ πάτριός ἐστι πᾶσιν ἀνθρώποις, ὡς ἐκ θεοῦ τὰ πάντα. Talia sunt plura, quæ jam prætermittentur. Porro quod ad locum priorem quem adducit Iustinus, ne quidem invenitur in hoc scripto, sed pro eo non dissimilis plane extat, qui ex eo adumbratus aliquatenus videri posset. οὐρανοῦ δὲ καὶ ἄστρων οὐσίαν μὲν αἰθέρα καλοῦμεν· οὐχ' ὥς τινες, διὰ τὸ πυρώδη οὖσαν, αἴθεσθαι, πλημμελοῦντες περὶ τὴν πλεῖστον πυρὸς ἀπηλλαγμένην δύναμιν. Hoc longe est aliud. Primo enim nihil hic de loco Dei agit, sed de quintæ essentiæ origine sive ætheris etymologia. Secundo, qui hic reprehenditur, non est Plato, sed vero Anaxagoras: id qui non existimat,

mat, ipsum Aristotelem audiat, qui de tota hac re ita lib. 1. De cœlo, cap. 3. quem hic noster respexit. διόπερ ὡς ἑτέρου τινὸς ὄντος τοῦ πρώτου σώματος παρὰ γῆν καὶ πῦρ καὶ ἀέρα καὶ ὕδωρ, αἰθέρα προσωνόμασαν τὸν ἀνωτάτω τόπον, ἀπὸ τοῦ θεῖν αἰεὶ τὸν ἀΐδιον χρόνον θέμενοι τὴν ἐπωνυμίαν αὐτῷ. Ἀναξαγόρας δὲ καταχρῆται τῷ ὀνόματι τούτῳ οὐ καλῶς· ὀνομάζει γὰρ αἰθέρα ἀντὶ πυρός. i.e. *Ideoque quod aliud quid sit à terra, igne, aëre & aqua corpus primum, locum omnium altißimum æthera vocarunt: ex perpetuo enim eius & æterno cursu desumpserunt hoc nomen. Anaxagoras vero ea abusus est voce, cum pro igne æthere utitur.* Vbi Simplicius, ἐπιλαμβάνεται δὲ Ἀναξαγόρου οὐ καλῶς ἐτυμολογοῦντος τὸ τοῦ αἰθέρος ὄνομα ἀπὸ τοῦ αἴθειν, καὶ διὰ τοῦτο χρωμένου αὐτῷ ἐπὶ τοῦ πυρός. i.e. *Reprehendit autem Anaxagoram, quod non recte ætheris etymologiam ab* αἴθειν, *id est, ardere, deducat, & idcirco pro igne utatur.* Neque ergo locus hic usquam extat, quem adducit Iustinus: neque Plato reprehenditur in quintaessentia, sed Anaxagoras. Quod ad locum quem adducit alterum, Homeri quidem versus hic legitur, sed aliter citatus, καθ' ὃν λόγον οὐ καλῶς καὶ ἐκεῖνο ἀναπεφώνηται, Ζεὺς ἔλαχ' οὐρανὸν εὐρὺν ἐν αἰθέρι καὶ νεφέλῃσιν. Et hæc quidem de Iustino.

Argumentum secundum ex Apuleio petitur: cujus hæc sunt verba in præfatione ad Faustinum: *Quare nos Aristotelem prudentißimum & doctissimum philosophorum & Theophrastum autorem secuti, quantum possumus cogitatione contingere, dicemus de omni*

*hac cœlesti ratione, naturas & officia complexi, & cur & quemadmodum moveantur explicabimus.* quæ de suo Apuleius addidit. Si ergo, inquiunt, Aristotelem & Theophrastum secutus est Apuleius, satis indicat autorem esse Aristotelem. Quid per omnes Musas obstat, quo minus liceat & mihi argumentari hoc modo: Apuleius Aristotelem & Theophrastum sequi se dicit, ergo autor Theophrastus est? Verum multo argumentabitur firmius, qui neutrius esse ex eo probabit. Apuleius enim qui amico suo Faustino versionem mittebat suam, monet hoc scriptum, cujus cujus tandem esset, ex Theophrasto & Aristotele collectum esse; quod ex parte tamen altera verum est tantum. Quatenus enim τὰ εἰσκόσμια καὶ τὰ οὐράνια κυρίως λεγόμενα tractat, Peripateticos secutus est autor: neque aliud vocare nunc videtur *rationem cœlestem* Apuleius. Cætera autem omnia ex diversæ sectæ autore sunt petita. Ac propterea in Græco cum legitur, λέγωμεν δὴ ἡμεῖς, καὶ καθ' ὅσον ἐφικτὸν θεολογῶμεν, omnino θεωρῶμεν est scribendum: tum quia vox theologiæ ibi locum non habet, tum quia inepta & συρφετώδης erit loquendi ratio, λέγειν καὶ θεολογεῖν, *dicere & divina dicere.* Apage has ineptias. Sed profecto nisi pueri sumus, plane Apuleius negat Aristotelis esse hoc scriptum. Nam cum Aristotelem & Theophrastum non se sed autorem secutum esse ait (neque enim autor sed interpres est Apuleius) & hoc monet Faustinum, plane significat, neque Aristotelem esse autorem neque Theophrastum:

nisi

nisi eundem esse dicamus, qui sequitur, & quem aliquis sequitur. Ita Homerus cum à veritate vel ab ipsa idea tertius Platoni dicitur, Homerus erit ipsa veritas & ipsa idea. à qua quam lōgissime abesse eum Plato testatur, & propterea è sua quę est κατ' ἰδέαν Rep. ejiciendum putat. Aut ut magis jam familiariter agamus, Virgilius erit Theocritus Hesiodus Homerus, quia hos imitatur.

Tertium est quod ibi sint quædam, quæ cum Aristotelis philosophia cōveniunt. Sicut de essentia quinta, quæ peculiaris Aristoteli putatur. Quasi vero eum qui in parte Aristotelem sequitur, sequi in toto necesse esset, cum hoc proprium illorum fuerit philosophorum quos ἐκλεκτικοὺς dicebant, ut ex aliis alia seligerent: aut quasi nemo unquã extitisset, qui doctrinam Aristotelis amplexus esset. Deinde hoc ipsum non est ita proprium ac peculiare, quod plerique putant, Aristoteli, ut non Plato quoque eodem modo sit locutus de æthere. Nam quod πέμπτην οὐσίαν magnus Stagirita, id divinus ille alter, πέμπτον στοιχεῖον, πέμπτον κόσμον, & πέμπτον σχῆμα vocat: quæ sunt eadem, ut recte ad Timæum notavit Proclus. τί γὰρ διαφέρει πέμπτον στοιχεῖον καλεῖν, ἢ πέμπτον κόσμον, καὶ σχῆμα πέμπτον, ὡς ὁ Πλάτων ἐκάλεσεν; i.e. *Quid enim interest, sive quis quintum elementum, sive quintum mundum, aut figuram vocet, quod est à Platone factum?* Sicut Orpheus, sive is Onomacritus fuerit, ἄριστον στοιχεῖον, ætherem in hymnis vocavit. Omnia Aristoteli ascri-

 bunt,

bunt, qui nil prẹter Aristotelem legerunt. Et hæc quidem aliis responsa sint: nunc ad nostra veniamus. Ac de rebus primo, mox de verbis.

Primo ergo Aristoteles cœli æternitatem tuetur, & quidem ita pertinaciter, ut hoc tanquam propriũ absolute Aristoteli Aphrodiseus asscribat: neq; tantum interiturum, sed & genitum fuisse negat. Vide quę lib. Phys. VIII. cap. x. & 11. De cœlo, cap. 1. dicuntur. At vero hic directe dicit, ipsum mundũ esse, διακόσμησιν ὑπὸ θεοῦ, καὶ διὰ θεῶν φυλαττομένην, hoc est, Apulcio interprete, *ornatam ordinationem Dei munere, Deorũ rectà custodia.* Et postea aliquanto etiam clarius, ὡς ἐκ θεοῦ τὰ πάντα καὶ διὰ θεοῦ συνέστηκε. *omnia ex Deo & per Deum consistunt.* Ita enim ex Stobæo ibi legendum, & intelligendum est.

Secundo, Aristoteles statuit intelligẽtias cœli motui affixas, sicut & VIII. Phys. ait, primam causam neq; per se neque per accidẽs moveri: de quo jam diximus. Hic simpliciter duas causas statuit supernaturales, & utranque in uno Deo: quarum altera ποιητικὴ sive διακοσμητικὴ, quæ orbem formavit, altera est συνεκτικὴ sive φυλακτικὴ, quæ orbem conservat, continet, & regit.

Ex hoc tertium & firmissimũ deducitur. Clemens Alexandrinus, patrum Græcorum doctissimus, & qui optime in philosophorum scriptis versatus fuit, negat Aristotelem Deũ novisse, quem scriptores alii ex Homero ὕπατον vocant, & hoc nomen in illius scriptis

ptis inveniri, cum pro eo animam præficiat universo. Verba autoris eximii hæc sunt. καὶ ὁ τῆς αἱρέσεως πατὴρ, τῶν ὅλων οὐ νοήσας τὸν πατέρα, τὸν καλούμενον ὕπατον, ψυχὴν εἶναι τοῦ παντὸς οἴεται. i.e. ***At vero familiæ pater, universi patrem cum non noverit, quem*** ὕπατον ***vocant alii, animam esse universi arbitratur.*** Duo ergo objicit philosopho. Prius est quod falsum scripserit de anima: alterum quod verum nesciverit de supremo rectore, quem antiqui ὕπατον vocabāt. Ad prius quod attinet, libri hujus autor opinionem oppugnat eam, quam Aristoteli tribuit Clemens: impium quippe esse & detestandum, arbitrari, Deum misceri rebus ipsis ut ab iis polluatur: satis enim esse si ubiq; ejus potentia versari existimetur. Idque ubertim demonstrat. Quod ad alterū autem, tantum abest, ut extare alibi Deum ignorarit autor iste, quem ὕπατον vocabant, ut hoc ipsum inter attributa Dei ponat. τὴν οὖν ἀνωτάτω καὶ πρώτην ἕδραν αὐτὸς ἔλαχεν, ὕπατός τε διὰ τοῦτ' ὠνόμασται. Vides ipsam vocem, quam in Aristotele nusquam inveniri vir sanctissimus affirmat.

Quarto, Peripateticos & eorum principem Aristotelem accusant veteres, quod ad Lunam tantum usq; Dei providentiam extendant. Vnde Origines Aristotelem infra Epicurum quoque ponere est ausus. Hic vero, inter alia multa, καθόλου δὲ ὅπερ ἐν νηῒ κυβερνήτης, ἐν ἅρματι δὲ ἡνίοχος, ἐν χορῷ δὲ κορυφαῖος, ἐν πόλει δὲ νόμος, ἐν στρατοπέδῳ ἡγεμών, τοῦτο θεὸς ἐν κόσμῳ. ***Denique, id quod gubernator in navi, auriga in curru, in***

*choro coryphæum quem vocant, lex in urbe, imperator in exercitu, hoc Deus est in mundo.*

Quinto, autor hujus scripti Britanniam & Hiberniam describit, quas Alexandri tempore fuisse ignotas nemo ignorat. Ita quidem ut ante audacem illam & primam Cęsaris expeditionem, multi, teste Plutarcho, ne extare quidem usquã ipsam Britanniam putarint, sed deliria esse poëtarũ quæ de illa scribebantur, quia ἐκτὸς τῆς οἰκουμένης, id est extra orbem habitabilem esset, ac propterea *alter orbis*, teste Servio grammatico, à poëtis appellaretur. Qui ergo scripti hujus autorem esse Aristotelem volunt, ἀϊστορησίαν & ἀγεωγραφησίαν profitentur. Huc accedit de Taprobane quod dicit: nam si ante expeditionem magni Alexandri hæc scripsit, quomodo ejus situm scire potuit, cum rex ille insulam istam detexisse dicatur? Sin in ipsa expeditione, quid ineptum magis poterit excogitari, aut quid φορτικώτερον, quam ut doceat quod ipse pridie fortasse didicerat, & de rebus parum eo tempore compertis, tam audacter loquatur?

Sexto, Platonicorum & Pythagoricorum est proprium, quatuor τῶν λογικῶν εἴδη statuere, Deos, Dæmonas, Heroas, & Homines: quod hic facit autor. Ita ut Deum supremum & quem ὕπατον vocat, statuat quasi architectum, dæmonas ut administros. qui cum suo singuli fungantur munere, totum tamen ad autorem primum refertur. Illos modo δαίμονας, modo θεοὺς δευτέρους, modo θεοὺς absolute vocant. Ita legendum

dum statim in principio ut jam dixi, κόσμός ἐστιν ἡ τῶν ὅλων τάξίς τε καὶ διακόσμησις, ὑπὸ θεοῦ καὶ διὰ θεῶν φυλαττομένη. Dii autem illi sunt aëriæ potestates, de quibus infinita Platonici. Ipse autem in Timæo luculenter ostendit, quomodo à Deo per Deos mundus administretur.

Septimo, autor hujus libri duas definitiones ponit: altera peripatetica est talis, κόσμός ἐστι σύστημα ἐξ οὐρανοῦ καὶ γῆς καὶ τῶν ἐν τούτοις περιεχομένων φύσεων. i.e. *mundus cœli & terræ constitutio est, earumque naturarum* (ut cum Apuleio loquar) *quæ sunt utriusque.* Altera Platonica est aut Pythagorica. κόσμος ἡ τῶν ὅλων τάξις ἐστὶ καὶ διακόσμησις, ὑπὸ θεοῦ τε καὶ διὰ θεῶν φυλαττομένη. *Mundus est ornata ordinatio* (vertit Apuleius) *Dei munere, Deorum recta custodia*, qui τὸ ὑπὸ θεοῦ ad vocem διακόσμησιν refert, non ad φυλαττομένη quod sequitur. Illa ergo constituit, τὸ πῇ γεννητὸν τοῦ κόσμου, cum Platone, Pythagora & aliis, qui De cœlo lib. 1. cap. x. rejiciuntur. Altera enim priori parti libri respondet, quę peripatetice tractatur, altera posteriori, in qua nihil est quod non ab Aristotele decedat. Hoc quoque factum esse ab Aristotele, quis credat?

Octavo, Aristotelem ubique cum reprehensione, nunquam cum laude à Platone dissentire multi notarunt. Hic Plato non ὁ γενναῖος modo vocatur, sed & ipsius verbis opus concludit autor: quanvis aliquid deesse in fine manifeste videatur.

Nono, Aristoteles nunquam προσφωνητικοῖς προοι-

μίοις

μίοις est usus, neque dedicare libros suos solet. Vnde & liber Rhetoricorum ad Alexandrũ merito quoque ut inter Aristotelica ἀθετεῖται, & rejicitur: idem in hoc est factum.

Decimo, Ne quis dubitare amplius possit, ipse Aristoteles lib. Met. I. cap. I. totum ordinem eorum quæ de Mundo & Natura scripsit, proponit, quibus sigillatim cōsummatis negat aliud restare quod de his scribat: quandoquidem instituti sui finem esset consecutus. Primo, ea ponit ergo quæ de primis naturæ caussis, omnique motu naturali scripsit. Ita octo libros physicæ Acroaseos vocat. Secundo quæ de stellis in sublimi regione dispositis & ordinato earũ motu, item de corporeis elementis. ita libros IV. De cœlo vocat. III. quæ De generatione & corruptione. Ita libros cognomines appellat. IV. quæ De Meteoris, de quibus tum agebat. V. Iis absolutis animalium historiam promittit. quo Alexander libros De anima, De sensu & sensibilibus, De reminiscentia, somno & divinatione in somno, tum De senectute ac juventute, De longitate ac brevitate vitæ, & si quæ sunt alia quæ ad animalia spectant, ut De partibus, De incessu, De motu eorum, putat referenda. VI. De plantis. Addit aut post hæc omnia, χεδὸν δὲ τούτων ῥηθέντων, τέλος ἂν εἴη γεγονὸς τῆς ἐξ ἀρχῆς ἡμῖν προαιρέσεως. i. e. *hæc autem cum absolverimus, finem instituti nostri consecuti erimus.* Eadem propemodũ lib. III. De cœlo.

Vndecimo, cum olim essent nonnulli, qui IV. De cœlo

cœlo libros Ariſtotelis, de mundo ſcriptos eſſe exiſtimarent (vocem enim οὐρανοῦ ibi ſic intelligēdam eſſe, quandoquidem ut illi putabant, ibi primo ἐν προηγουμένως de mundo ageretur, ſecundo de cœlo, poſtremo etiam de elementis) Simplicius pluribus iiſq; ſatis firmis argumentis probat, nihil ibi dici de mundo, niſi quod ſimul dici de cœlo Ariſtotelice poſſit: aut potius, nihil ibi dici de mundo, niſi quod mundus cum cœlo commune haberet: quod nimirum perennis, quod finitus magnitudine, & quod unus ſit numero. Inter cætera hoc addit. Ἀλλ᾽ εἴπερ βούλοιτό τις τὴν Ἀριστοτέλους περὶ κόσμου θεωρίαν ἰδεῖν, ἐν πάσαις ὁμοῦ ταῖς φυσικαῖς αὐτοῦ πραγματείαις περὶ κόσμου πραγματεύσασθαι ῥητέον. i.e. *Si quis autem velit Ariſtotelis de mundo ſcripta videre, dicendum eſt eum in omnibus in quibus de natura egit, de mundo quoque egiſſe.* Vbi quæſo tum Ariſtotelis De Mundo liber latebat? quem ſimplicitate mera viri docti Ariſtoteli aſſcribunt.

Duodecimo, Addit ibi Simplicius, ſi quis opus quærat in quo ſimul de omnibus mundi ageretur partibus, ei Nicolaum Damaſcenum potius legendũ eſſe, qui De mundo, vel De Vniverſo librum ſcripſiſſet. Διὸ Νικόλαος ὁ περιπατητικὸς περὶ πάντων τῶν ἐν τῷ κόσμῳ κατ᾽ εἶδος ποιεῖται λόγον, i.e. *Ac idcirco Nicolaus peripateticus de omnibus quæ ſunt in mundo ſigillatim agit.* Et ne quis ultra dubitare poſſit, quãvis hoc ſufficiat, diſerte addit, ex duobus Ariſtotelis quos jam adduximus locis firmiter concludi poſſe, primo, Ari-

ſtotelem de mundo ſcripſiſſe nuſquam, niſi in iſtis. Deinde, neq; ita de cœlo ut de mũdo. οὔτε ἀλλαχοῦ περὶ κόσμου εἴρηται, οὔτε οὕτως περὶ οὐρανοῦ ὡς περὶ κόσμου.

Poſtremo, ſolet Ariſtoteles quoties Platonicæ opinionis meminit, ita meminiſſe, ut pręter malevolentiã de qua diximus & animi acerbitatem, ejus dogmata labefactet, quod jam à tam multis eſt notatũ: ſicut à veteribus quoque reus impietatis in præceptorem ſuum agitur: qua de re cum alii tum pręcipue Ælianus Var. hiſt. lib. IV. cap. IX. Et ſatis eſt notum quomodo lib. I. Eth. de Ideis, II. politicorũ de Rep. Platonis agat, non præter mentem modo hominis ſed interdum plane cõtra. ubi & ſubacerba illa nota extat, τὸ μὲν οὖν περιττὸν, ἔχουσι πάντες οἱ τοῦ Σωκράτους λόγοι, καὶ τὸ κομψὸν καὶ τὸ καινοτόμον, καὶ τὸ ζητητικόν· καλῶς δὲ πάντα, ἴσως χαλεπόν. i.e. *eruditionem certe & elegantiam, ac novam diſtinguendi ac quærendi rationem omnes Socratici ſermones præſeferunt: ut vero omnia recte, eſt difficile.* Hic non modo non ab ejus opinione malevole decedit, ſed in partes ejus ſæpe tranſit, quod non eſt illius quem antiqui notant, ἀντοικοδομῆσαι τῷ Πλάτωνι διατριβήν.

Iam ad rationem ſcribendi veniamus: in qua duo veniunt examinanda, methodus & forma orationis.

Si methodum reſpicias, ubi eſt accuratum illud philoſophi & conſuetum? Vbi divina illa ἀναλυτική, quæ in partes ſuas totum ita reſolvit, ut intelligantur perſpicue quæ proponuntur. quam aliquoties τὴν ὑφηγημένην μέθοδον, i.e. ſolitam & conſuetam ſibi, &

quaſi

quasi propriam agēdi rationem vocat. Vt Polit. lib. 1. cap. 1. Item in libris De generat. & corrupt. Sicut Met. lib. 1. cap. 1. τὸν ὑφηγημένον τρόπον. Vbi tamen Alexander docet, cum τὸν ὑφηγημένον τρόπον ibi posuisse, ὅτι μὴ ἱστορίαν τινὰ παρέδωκεν ἐν τοῖς περὶ τούτων ψιλὴν, ἀλλὰ μετὰ τοῦ τὰς οἰκείας ἑκάστου τῶν λεγομένων ζητεῖν αἰτίας τε καὶ ἐκδιδόναι, καὶ μετ' ἀποδείξεως τὴν περὶ αὐτῶν ποιεῖσθαι θεωρίαν. i. e. *quod non nudam aliquam in illis traderet doctrinam, sed quod causas singulorum inquireret ac redderet, & demonstrative ageret.* Vbi sunt divisiones illæ à quibus exorditur plerunque? Vbi generale illud πᾶσα vel πᾶν vel πᾶς, quod in prima fere semper novæ doctrinæ periodo occurrit? Vt in Phys. ἐπειδὴ τὸ εἰδέναι καὶ τὸ ἐπίστασθαι συμβαίνει περὶ πάσας τὰς μεθόδους. in Nicom. Πᾶσα τέχνη καὶ πᾶσα μέθοδος. In Polit. ἐπειδὴ πᾶσαν πόλιν ὁρῶμεν, κοινωνίαν τινὰ οὖσαν. In principio τῆς ἀποδεικτικῆς, Πᾶσα διδασκαλία καὶ πᾶσα μάθησις διανοητικὴ, ἐκ προϋπαρχούσης γίνεται γνώσεως. quæ κοινὰ ἀξιώματα ab interpretibus vocantur. Quare aut hoc aut simili modo potius hāc πραγματείαν inchoaturus videtur Aristoteles, Πάντων τῶν ὄντων εἰς ἐγκόσμια τε καὶ τὰ ὑπὲρ ταῦτα διῃρημένων. Sed hæc forsan sunt minuta, & sint sane: methodus quoq; si cui videatur, cum non tam docere quam describere universum hoc & delineare autor voluerit, prætermittatur.

Venio ad orationis formam, & dicendi genus, quod qui non advertit, plane sine sensu horum vivit, & profecto μύλινος λίθος est.

Tria ergo in omnibus Aristotelis scriptis observabit potissimum, qui non omnino est expers harum rerum, τὸ τῆς λέξεως ἄκομψον, τὸ τῆς φράσεως ἀκριβὲς, καὶ τὸ τῶν ἐννοιῶν συνεστραμμένον. Primum vocare possis, *castitatem verborum*, secundum *accuratam loquendi diligentiam*, tertium *constrictam in sensibus brevitatem, & cumulum*. Quorum omnium nihil hic quisquam inveniet. Nam & dictio est comptior quam pro sanctitate Aristotelis, & minime ἀποίητος, sed potius sophistica, à quo alienissimi sunt sani scriptores. Nam ut illi qui tum temporis vivebant, & accurate scribebant, tanquā scopulos & cautes, voces ἀπηρχαιωμένας & vetustate obsoletas fugiebant, ita non necesse fuit, ut sophisticas vitarent, quæ tum temporis, sæculi puritatem nondum inquinaverant. Sed & locutiones minus sunt accuratæ neque constrictæ, sed in tanta brevitate describendi res multas, sæpe luxuriat oratio. Multa à nobis singulorū afferri exempla possent, nisi satis esset indicasse. Tamen ut studia aliorū acuamus, ipsam opusculi præfationem videamus.

Πολλάκις μὲν ἔμοιγε, θεῖόν τι καὶ δαιμόνιον ὄντως χρῆμα, ὦ Ἀλέξανδρε, ἡ φιλοσοφία ἔδοξεν εἶναι] Est periodus plane συνεστραμμένη καὶ περιωδευμένη, & Rhetorico more cumulata & contorta, quæ ut in ambitū majorem excrescat, θεῖον καὶ δαιμόνιον χρῆμα, philosophiam vocavit. Illud vero plane redundans est & ineptum quod sequitur.

Ἐπειδὴ γὰρ οὐχ᾽ οἷόν τε ἦν τῷ σώματι εἰς τὸν οὐρανὸν ἀφι-

κέσθαι

*χεῖα τόπον, καὶ τὴν γῆν ἐκλιπόντα, τὸν οὐράνιον ἐκεῖνον χῶρον κατοπτεῦσαι*] Quis ab Aristotele unquam expectaret, ut *οὐράνιον τόπον* vocaret *τὸν οὐρανὸν*, & quod stultum est plane ac ridiculum, in eadem rursus periodo *οὐράνιον χῶρον* vocaret? Qui hæc talia non videt, sub lentissimis maxillis edit: & si verum volumus fateri, plane est indignus qui tria unquam commata in Aristotele legerit.

*Καθάπερ οἱ ἀνόητοί ποτε ἐπενόουν Ἀλωάδαι*] Hæc *ἔννοια* plane est sophistica, aut declamatoria. magis locũ habet in Ovidiano carmine, qui idẽ plane dixit, sed sine vitio.

*Sic petitur cœlum: non ut ferat Ossan Olympus,*
*Summaq; Peliacus sidera tangat apex.*

Deinde illa, *ἡ γοῦν ψυχὴ διὰ φιλοσοφίας λαβοῦσα ἡγεμόνα τὸν νοῦν*, &c, *καὶ θείῳ ψυχῆς ὄμματι τὰ θεῖα καταλαβοῦσα*, qui non statim odoratur unde sint desumpta, nunquam Pythagoricos recentiores inspexit, qui ad nauseam usque hæc id genus alia inculcant, *τὸν τῆς ψυχῆς ὀφθαλμὸν, τὸ τῆς ψυχῆς ὄμμα, τὸν πάσης γνώσεως τε καὶ παιδείας ἡγεμόνα νοῦν*, & similia. Puto talia in Iamblichi Protreptico, Hierocle & aliis millies occurrere.

*Τοῦτο δὲ ἔπαθε, καθ' ὅσον οἷόν τε ἦν πᾶσιν ἀφθόνως μεταδοῦναι βουληθεῖσα τῶν παρ' αὐτῆς τιμίων*] Primo *τῶν παρ' αὐτῇ* maluisset Aristoteles. sed qui *τίμια τῆς φιλοσοφίας* vocare potest disciplinarum scientiam, etiam *κειμήλια φιλοσοφίας* (& quid non postremo?) dicere audebit. Hæc imbelli sophistarũ generi sunt relinquẽda. Alios profecto artus & membra habet magni viri oratio.

Οἱ μὲν τὴν Ὄσσαν, οἱ δὲ τὴν Νύσσαν, οἱ δὲ τὸ Κωρύκειον ἄντρον] Hæc periodus & quæ præcedit, ἑνὸς τόπου φύσιν, ἢ μιᾶς σχῆμα πόλεως, ἢ ποταμοῦ μέγεθος, ἢ ὄρους κάλλος, plane ad actionem factæ videntur, neq; aliud requirunt, ἢ χεῖρα ῥήτορος ἐμπειραγομένην τῷ ῥυθμῷ, *quam manũ rhetoris quæ rythmũ ſequatur.* quod propoſitũ, ſi Diis placet, Ariſtoteli fuit, qui nihil ἐνδεικτικῶς ἢ πανηγυρικῶς, ſed potius ἀποδεικτικῶς καὶ διδακτικῶς omnia ſcripſit. Neque eſt dubium, quin illi quorum hic meminit, diu poſt Ariſtotelem & ſcripſerint & vixerint. fuerunt enim homines nugaces, & qui ne nihil agerent, hoc modo ſe de ocio ſuo vindicarunt. Ibi autem vere, ſi Muſis placet, Ariſtotelem agnoſcis, τοῦτο δὲ πάσχουσι διὰ τὸ ἀθέατοι τῶν κρειττόνων εἶναι, λέγω δὲ κόσμου καὶ τῶν ἐν κόσμῳ μεγίστων. Pudet diutius his immorari.

Refutatis aliorũ opinionibus, reſtat ut ipſi aliquid ponamus: quod priuſquam faciamus, illud eſt notandum, Tres fuiſſe cauſas antiquis philoſophis cur aliquod Ariſtotelis ſcriptum in dubium vocarent. Vna quod ejuſdem nominis cum Ariſtotele alii fuerunt. Octo enim commemorantur, quorum ſcripta ſæpe falſo huic Ariſtoteli aſſcripta fuiſſe docet Ammonius. Secunda, quod plurima homonyma ſcripta eſſent edita. Ejus quippe diſcipuli, Eudemus, Phanias, & Theophraſtus, ſtudio & æmulatione præceptoris ſui, multa eadem inſcriptione cum Ariſtotele dederunt: quæ quoque Ariſtoteli à nõnullis aſſcripta fuere. Tertia, quam nos addimus, eſt, homonymia ejus ad quem

ſcribi-

ſcribitur: ſiquidem plures Alexandri præter Macedonem illum fuerunt: ac propterea potuit ſcriptum aliquod quod Ariſtotelis non eſſet, ei aſſcribi tamen. Quarta eſt, quod Ptolomæum Philadelphum ſtudioſum admodum Ariſtotelis fuiſſe ſatis conſtat, hoc autem ſtudio regis multos excitatos eo tempore fuiſſe, ut quæ ipſi ſcripſiſſent ſub philoſophi illius nomine offerrent. Quanquam ad ætatem illam nunquam referre hoc ſcriptum auſim. Aliquanto enim recentius videtur, & eſſe certum eſt.

Vnum ergo ex his tribus cum reſtare mihi videatur, non eſt dubium, quid ex iis maxime vero ſit ſimile: aut Alexandri nomen perperam adjectum eſſe, quod in exemplaribus nonnullis hodieq; omittitur, ut jam ante docti monuerunt. Aut hunc Alexandrum cognominem ſuperiori fuiſſe: aut Alexandri nomen additum ab autore fuiſſe, ut facilius Ariſtotelis probaret eſſe. Quod mangonium admodum familiare fuit ſemper ſophiſtis. Idem certe in Rhetoricis ad Alexandrum factũ videtur, quem librum nemo eſt tam imperitus qui Macedonis illius tempore ſcriptũ eſſe exiſtimare poſſit. Neque eſt quod hoc nomen, aut hic fucus tantum apud eruditos poſſit, ut amœniſſimum etiam Mureti ingenium commovere debuerit. Ego ergo primum eſſe omnino verum exiſtimo, perperam Alexandri nomen eſſe adjectum, quia tale aliquid ad Alexandrum ſcripſiſſe Ariſtotelem plerique credidiſſent. Ipſum vero autorem ſub Romanis vel Au-

gusti tempore vel infra scripsisse existimo: sive is Ioannes Damascenus sive alius quicunque fuerit: qui profecto non tam Peripateticum aut Platonicum, quam Eclecticum hic egit.

FINIS.

---

*Errata Typogr.*

P. 33. *Atqui neque.* 41. *hos.* 50. *patrimonium.* 55. *Dinomenes.* 44. τεντάτ ὀνόσι. 60. [illegible]. &, ὃς σφιν bis. 61. Σήσαμις.